

05

A

940





F. I. N. I. S.
EXERCITATIO ACADEMICA
DE
NOVISSIMIS,

QVAM
ADJUVANTE PRIMO ET NOVISSIMO
EX CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS
THEOLOGICÆ

IN ATHENIS LEUCOREIS,
SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI

SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS MEISNERI,
DOCTORIS THEOLOGI FAMIGERATISSIMI,
PROFESSORIS IN INCLYTA HAC AD ALBIM ELECTORA-
LI ACADEMIA CELEBRATISSIMI, SENIORIS FACULTATIS THEO-
LOGICÆ MAXIME VENERANDI, PRÆPOSITI ARCIS TEMPLI
GRAVISSIMI, CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSES-
SORIS MERITISSIMI,

DN. PATRONI, FAUTORIS ATQUE PROMOTORIS SUI
OMNI HONORIS CULTU PERPETIM DE-
VENERANDI,

PUBLICÆ ET PLACIDÆ ERUDITORUM VEN-
TILATIONI EXPONIT


JOHANN- PETRUS KLICK

TRABENA- MOSELLANUS,
IN AUDITORIO MAJORI
AD DIEM XXIV. NOVEMBR. MDCLXXV.

WITTEBERGÆ,



05 A 940



כַּלְהֵי

PRÆFAMEN.

S Inquam novissima meditanda forent, vel ultimo hoc tempore ea maximè consideranda esse existimarem, quo cuncta à Servatore nostro prædicta complementum suum accepisse videntur, truculenta enim Martis savitia totum ferè pervasit orbem, & vox gemebunda creaturæ liberationem expectantis sollicitè ubivis personare auditur, mundus sub tanto nutat pōdere atq; tam latioris cauteriatæq; conscientia reperiuntur homines, qui sanctissimas de extremo judicio promissiones vel in dubiū vocare, vel negare planè non erubescunt. Nos, qui Christi tuemur nomen, in id potius omni studio incumbamus, ut impia hæc malignorum consilia detestantes eò frequentius novissima meditemur, quò felicius creberrimā eorum memoriam à peccatis nos avocare deprehendimus: Facile enim is terrena repudiat, qui semoriturum cogitat, eò maximè, cùm mente revolvit suā, non manentem nobis hīc esse civitatem, sed futuram inquirendam, commorandi nobis naturam diversorium, non habitandi dedisse: MORS quippe fragilitatis nos humane commonefacit, omnemq; elatum animum ab unoquoque facile depellit: Concupiscentia atque odij flammæ comprimet sine dubio ignis perpetuò duraturi memoria, multum ergò ab humanitate absunt illi mortales homines, qui immortales fovere iras sibi præsumunt, excitet potius mentes nostras ad verè
A 2 pie-

pietatis studium ingens illud quod effari lingua non potest
gaudium: Novissima iudicii extremi tuba à pellicientis
mundi vanitatibus nos abstrahat, atque tremenda Salvato-
ris vox: Surgite mortui & venite ad iudiciam: in memo-
riam nobis revocet. singulis nos momenti stare ante fores eter-
nitatis. Quapropter cum id prudentiae reputetur humana non
ea modò, quae ante pedes sunt, videre, sed etiam, quae futura
sunt, prospicere; ad sublimiorem etiam pertinebit pruden-
tiam, non praeterita solùm, & quae ob oculos nobis versantur,
reputare, sed etiam, quae futura sunt novissima omnibus
certò expectanda, Scripturâ comite meditari atque perscru-
tari. Mihi, cum meditarer aliquamdisquisitionis publicae mate-
riam, utilem novissimorum doctrinam praesens temporis, in
quod nos Deus reservavit, dilectaeq; patriae meae bello undiq;
jam circumsepta atque lacerata conditio dictavit & suppe-
ditavit, quae tamen doctrina, fateor, justum potius librum pro
materia tractanda ubertate dignitateq; exigit, atque amplio-
rem se sistit, quàm ut exiguis hisce pagellis includi, brevibusq;
disputationis limitibus circumscribi queat: In praesenti ta-
men Deo & Scripturâ Duce potiora saltem eorundem enume-
rabo capita: Tuum erit, Benevole lector, conatibus hisce fa-
vere. si quid humani passus fuero, facile pro candore Tuo veni-
am dare homini, atque imperfectiori immaturoq; juvenis con-
donare iudicio, Interim Numen divinû supplex veneror, & ut
gratiâ ex alto suâ mihi clementer adesse velit, submissè precor:

Mors & iudicium, caelestis gloria vitae,

Et dolor inferni sunt meditanda mihi.

Tu Deus Alme meis praesentibus annue caeptis,

Refugium vitae praesidiumq; mea.

Dirige nutantem calamum, qui velle dedisti,

Nunc mihi clementer da quoque perficere.

Fova juva caeptos bene continuare labores,

Adq; bonum finem ducere Fova juva.

S. I. No-

§. I.

Novissima, quæ nobis hîc consideranda veniunt, & frequens eorum meditatio sunt quasi rotæ, quæ provehunt animam ad æternam salutem, igitur, ut nos etiam in eorum perlustratione eò feliciùs provehamur, pauca in genere de nomine, numero & ordine eorum præfabimur.

II. *Novissimus* est vocabulum ἔσχατος, & respondet Hebræorum מֵאָחֳרַיִם & Græcorum ἔσχατος, quod vel *de loco* sumitur Luc. XIV. 9. 10. Actor. I. 8. c. XIII. 47. vel *de tempore* (χρόνος) 1. Tim. IV. 1. 1 Pet. I. 20. Epist. Jud. vers. 18. (καρῶ) 1 Pet. I. 5. (ἡμέρα) Joh. VI. 39. 40. 44. 54. cap. VII. 37. cap. XI. 24. cap. XII. 49. Actor. II. 17. 2 Tim. III. 1. 2 Petr. III. 3. Heb. I. 2. Jacob. V. 3. (ῥῶρα) 1 Joh. II. 18. vel *de fine alicujus gentis*, ut quando moribundus Patriarcha Jacobus Gen. XLIX. 1. inquit: *Congregamini, ut annunciem, quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus*, non loquitur de fine mundi, quod omnes textus circumstantiæ apertè monstrant, sed de fortunâ cuiq; filiorum Israelis eventurâ, & de politiæ Mosaicæ duratione usq; ad excidium: huc faciunt quoq; loca Deut. IV. 30. cap. XXXII. 29. & illa, quibus sub finem V. T. tempus παραοίας καὶ ἐνσάρκωσεως τοῦ Χριστοῦ dies *novissimus* appellatur, vid. Es. II. 2. seqq. quæ eadem fermè verba repetuntur apud Mich. cap. IV. 1. seqq. In novo autem T. *novissima tempora* dicuntur ea, quæ Messia exhibitionem consequuntur, ille enim est primus ὁ πρῶτος existentia, ultimus seu *novissimus* μὲν permansione: Sumitur etiam alicubi *metaphoricè* in loco Ezech. XXIII. 25. *pro postrema sortis hominibus*, quæ tamen significatio non est hujus loci, sed illa, quando *universaliter & absolute* sumitur *pro fine mundi & omnium gentium*, ut Es. XLI. 22. qui locus sine omni dubio de *novissimis* agit, quia solius Dei (qui hîc Diis alienis atque fictitiis opponitur) est proprium scire novissima Conf. Jer. XVII. 11. Dan. II. 28. quæ loca de omnium novissimis agere nemo facilè negabit, nam hujus vel illius regni interitum Politici aliàs conjecturaliter ex his vel illis causis præscire possunt. add. c. VIII. 19. Syr. VII. 39. cap. XXVIII. 6. c. XXXVIII. 21. In N. T.

probatum toties, quoties mentio fit *temporis, diei, vel horæ novissimæ*, & quando *tuba illa*, quâ comite Salvator in nubibus veniet i Theff. IV. 16. *novissima* appellatur i Cor. XV. 25. quæ significatio est hujus loci propria; *Novissimum* etiam idem est ac postremum, quod enim est postremum, illud etiam est novissimum, & vice versa, quod novissimum est, est quoq; postremum.

III. Numerum *Novissimorum* in tanto dissentientium numero determinare difficultate non caret suâ, nec mihi cum Poetâ jam gloriari licet: *Numeros memini, si verba tenerem*, sed tot fermè invenio sententiarum divortia, quot capita: Sunt qui *mortem omnium novissimum* statuerunt: Verùm hæc sententia nimium videtur Epicureismo favere, quasi *mors* omnibus rebus actionibusq; totalem finem imponeret. Alii inveniuntur, qui singulari *διχοτομίας* studio atque amore eadem duplicia esse dixerunt: *mundi destructionem & Christi apparitionem*, quâ manifestabit se Christus in mortuorum resuscitatione & judiciâ administratione, piorumq; ab impiis segregatione, illos cœlesti gloriâ perfundendo, hos in locum tormentorum detrudendo: In hæc autem recensione mortis nulla fit mentio. Tria enumerant alii, alii communiter quatuor, *mortem, judicium, infernum & vitam æternam*; ast in quorum gratiam *judicium* illud exercebitur? nisi eorum, qui resurgent: quid *hujus mundi systemate* opus, atq; viatorio hoc tabernaculo? cùm feliciter civitatem patriamq; cœlestem appulimus. Quidam numerum hunc ad senarium usq; extendunt, & hoc quidem ordine, ut mortem primo ponant loco, *mortuorum resurrectionem* secundo, *extremum judicium* tertio, *seculi consummationem* quarto, *impiorum damnationem* quinto, & *piorum deniq; glorificationem* sexto, quorum sententiæ facilioris methodi ac doctrinæ causâ jam subscribimus, & *mortem* quidem cæteris præmittendam esse ducimus, cùm temporis ratione reliqua antegrediatur: Hanc excipit è *mortuis resurrectio*, quia, quod cecidit, resurget, quod resurrexit, coram *judicio & tribunali divino* sistendum, & quoniam *rotum hoc universum* nullius amplius erit usus post resurrectionem & judicium, sequetur *seculi consummatio*, quam sequi *judicium* non improbabili ratione colligimus ex hoc, quia è monumentis

mentis dicimur prodituri Joh. V. 29. è pulvere terræ surrecturi
Job. xix. 25. Mare dicitur mortuos suos daturum Apoc. xx. 13. iudex
in nubibus venturus conspicietur Matt. xxiv. 30. cap. xxvi. 64.
Marc. xiii. 26. c. xiv. 62. Luc. xxi. 27. Apoc. I. 7. cap. xiv. 14. Paulus
ait, nos in aërem iudici in occursum rapiendos fore I Thess. iv. 17.
& omnes illi, qui vivi deprehendentur, utiq; in mundo erunt, atq;
à quatuor mundi plagis Angelorum ministerio congregabun-
tur, imò quomodo colles & montes tegumenta iræ divinæ optare
possent impij, cum ampliùs non superfuerint: Non minima vi-
detur etiam pars esse supplicij impijs mundi sui, cui tam præpo-
stero amore adhæserunt, conflagrationem videre, pijs autem in
majoris gaudij incrementum cedit intueri justum Dei iudicium
adversus mundum, in quo tot mala pertulere: Et veluti ante crea-
turæ rationalis creationem conditus fuit mundus, ita probabile
quidam existimant illum ante glorificationem hominis destru-
ctum iri. *Damnationem impiorum præcessuram fore piorum glo-
rificationem* patet ex descriptione actûs illius iudiciarii Matt. xxv.
46. in quo sententia absolutoria prius quidem electis denuncia-
ta legitur, quàm condemnatoria impijs, executio autem senten-
tiæ initium capiet in impiorum damnatione, terminum verò sine
omni tamen termino in piorum glorificatione: prius infelix lo-
lium sterilesq; avenas collectas cœlestis Paterfamiliâs flammis con-
cremare jubet, quàm triticum in horreum congregare Matt. xiii. 30.
prius impij in caminum ignis demittuntur, vers. 41. quàm justi sic-
ut sol fulgent vers. 43. prius Johannes Theologus in libro vitæ
non inventos in stagnum sulphuris dejectos vidit Apoc. xx. 15.
quàm cœlum novum & terram novam cap. xxi. 1. quod verò que-
rulas istas insipientium in sapientiæ libro c. v. 1. seqq. voces attinet,
quasi videant beatos inter cœlites numeratos & in thronum gloriæ
ejectos, hoc de separatione, & ad dextram collocatione ante iudi-
cium interpretaberis, illi enim ne digni quidem sunt, ut beatos in
gloriâ constitutos ad punctum temporis conspiciant, sed fors
eorum est foràs in tenebris exterioribus cum omnibus Diabolis,
ubi æternas debitasq; peccatorum pœnas igni luunt inextingui-
bili: Electis autem in gloriæ & felicitatis augmentum cedit im-
pijs

pios in supplicium æternum abeuntes conspicere, atq; ex oppo-
 siti ratione magis elucescet divina gratia, quam ὁ τὸν πῦρ ὁ ἄσπετος
 æternis deprædicabunt laudibus: Quæ omnia tamen non *absolute*
 & ἀποδεκτικῶς hoc præcisè ordine eventura esse asserimus, sed
 tantùm *probabiliter*. *Ventura esse hæc novissima*, ait Magnus Hip-
 ponensium Præsul lib. 20. de Civ. Dei cap. 30. *credendum est, sed*
quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit experien-
tia, quàm nunc valet consequi ad perfectum hominem intelligentia.
 Nos ad singula justo properabimus ordine, eaq; brevibus pro in-
 stituti quidem ratione perlustrabimus.

IV. *MORS*, quæ primo venit consideranda loco, est *separatio*
animæ à corpore pœna loco hominibus lapsis imposita, ut magnitudo
iræ divinæ adversus peccatum eò luculentius conspiciatur. Per pec-
 catum enim & Diaboli invidiam *mors* in mundum introiit, & pri-
 mus homo, si morfu fructûs vetiti serpentinum morsum sibi suisq;
 posteris non contraxisset, mortem tanquam peccati ὀφώνιον sub-
 ire non necesse habuisset, unde quidam etiam mortem à morfu
 dictam esse volunt, à quo sibi nemo cavere potest, hinc vulgares
 versiculi:

Jure vocata fuit mors: quæ quasi morsus amarus
Omniibus est, à quo nemo cavere potest.

Ob hanc comestionem posteros stupor dentium remansit, neque
 nomen hoc indeclinabile doctissimi Grammatici declinare didi-
 cerunt. Qui à morâ ejus originem deducunt, huc videntur respice-
 re, quia omnes avarus portitor moratur atq; expectat, nulliusq;
 moratur conditionem. Qui à μείρειν mortis nomen derivant, quod
 dividere Græcis dicitur, videntur ad hoc alludere, quòd mors ani-
 mam à corpore dividit & separat. Græcis dicitur θάνατος, item
 τέλει, τελευτή, quia omnibus humanis in hâc terrâ actionibus
 finem imponit. Hæbræis dicitur מוֹת quod levi metathesi & re-
 trogradâ lectione מוֹת integritatem & perfectionem notat, quia
 piorum mors est veræ perfectionis atq; perfectæ sanctitatis exor-
 dium. In Scriptura S. somni appellatione venit Deut xxxi. 6.
 2. Sam. vii. 12. Joh. xi. 11, 1 Cor. xv. 20, qui mortis imago vocatur à
 Poëta Sulmonensi:

Quid

*Quid est somnus? gelida nisi mortis imago,
Et alius de somno & lecto ita ἀλληγορεῖ:*

Somnus ut est mortis; sic lectus imago sepulcri:

Quæ tamen κοιμησις de impiis etiam quandoq; dicitur, ut constat de immensâ Dei erga peccatores misericordiâ, quæ mitior est in eos, quàm meruerunt. vid. 1 Reg. xiv. 20. 31. cap. xvi. 6. c. xxii. 40. Jer. li. 39. 57. Dan. xii. 2. 15. dicimur quoque ἐκδύσασθαι, veluti ad somnum composituri vestes exuimus, 2 Cor. v. 4. hujus vitæ bonis exuimur Job. i. 21. 1 Tim. vi. 7. corpusq; ut ἐνδύμα deponimus 2 Pet. i. 14. Sole quoque justitiæ exoriente Christi voce faciliùs excitamur, quàm Petrus in carcere dormiens ab Angelo, atq; vegetiores, alacrioresq; ex κοιμητηρίοις nostris resurgimus; *Nemo enim nostrum* (verba sunt Augustin. sermon. 44. de verb. Dom.) *tam facile excitat dormientem in lecto, quàm Christus jacentem in sepulcro*, cujus rei apertissimum in diebus carnis suæ specimen edidit in excitatione Lazari. Pro vestimentis depositis stolâ albâ agni sanguine mundatâ vesteq; immortalitatis ornabimur, atq; tunicâ justitiæ Christi induemur. Vocatur etiam Mors congregatio ad populum Gen. xxv. 8. cap. xxxv. 29. cap. xlix. 32. conf. Num. xx. 26. 2 Reg. xxii. 20. collectio in fasciculum viventium 1 Sam. xv. 29. Via universæ carnis omnibus calcanda Jos. xxiii. 14. conf. 1 Reg. ii. 2. Ab Evangelistis & Apostolis vocato τέλει, quod tamen non ita intelliges, quasi in & cum morte omnia finiantur, aliàs morte Christi quoque omnia essent finita & completa, cùm de illius morte hæc etiam vox legatur Joh. xiii. 1. sed quia terrenæ mortaliq; huic vitæ atq; terrenæ conversationi finem imponit, vid. Eccl. ix. 10. Suavissimâ eandem phrasi describit discessurus è vivis senex Simeon per, ἀπόλυσιν, quam vocem dubio procul mutuò sumsit ab Aarone, de cujus morte LXX. Interpp. hanc vocem usurpant, Num. xx. 28, cap. xxxiii. 38. Deut. x. 6. notat aliàs dimissionem ex carcere Matt xviii. 27. cap. xxvii. 15. Marc, xv. 11. Luc. xxiii. 16. Actor. iii. 13. elegantissimâ ad mortem translatione, quâ dimittimur ex hoc corporis ergastulo & peccati carcere, quem vehementiùs deplorat Apostolus, quàm alias martyrii sui cruces Rom. vii. 24. & dimissionem in patriam Matt. xiv. 15. cap. xv. 32. Marc. viii. 9. dimissionem

B

post

post confectum negotium Exod. xxxii. ii. Actos. xiii. 3. cap. xv. 30.
& liberationem ab infirmitate Luc. xiii. 12. veluti nos ex hoc mundi
deserto per vallem mortis obscuram Ps. xxiii. 4. in patriam cœle-
stem clementer dimittimur, & post iter peractum, curriculum vi-
tæ nostræ absolutum, finitumq; certamen ab omni infirmitate
corporis & animæ liberamur. Quod *Ἀπόλυσι* dixit Simeon, illud
Paulus *ἀνάλυσι* vocat, quasi ex vinculis compedibusq; liberatio-
nem Phil. i. 23. quæ est dissolutio quoq; tabernaculi nostri corpo-
ris, domorumq; lutearum Job iv. 19. quales milites belli tempore
ad commorandum exstruunt, *ex quibus discedimus ut ex hospitio,
non tanquam è domo*, iudice Ciceron. de senect. omnium tamen
suavissima videtur appellatio, quando lucri nomine apud Paulum
venit Phil. i. 21. Suavis odor lucri nomen: quid ergò lucratur?
pro peccato justitiam Rom. VI. 7. pro inquieto labore perpetuam
requiem Job. iii. 13. pro militiâ pacem Job. vii. 1. Sap. ii. 3. Solatium
pro fletu Luc. xvi. 25. pro corruptione incorruptionem, gloriam
pro ignominiâ I Cor. XV. 43. 53. felicitatem pro miseriâ Apoc. xiv.
13. imò pro ipsâ morte vitam immortalem Joh. v. 24. & pro malo-
rum tumulo ingentem omnium bonorum cumulum Heb. xi. 5. &
quis omnibus hisce felicitatibus enumerandis erit sufficiens? tan-
tæ enim sunt, ut non possint numerari, tamq; copiosæ, ut æstimare
ea pro dignitate impossibile habeatur. *Πολύσημον* est aliàs Mor-
tis vocabulum, sumitur vel *proprie* vel *figuratè*: Hoc respectu vel
metonymicè, pro re mortiferâ 2 Reg. iv. 40. vel *metaphoricè*, quo re-
spectu vel *temporalis* est vel *eterna*, illa rursus est vel *corporalis*,
sub quâ omnis generis calamitates comprehenduntur tanquam
mortis caduceatores Exod. X. 17. vel *Spiritualis*, quæ pro objecto-
rum diversitate ab ipsa Scriptura S. intimatâ Marc. XVI. 16. est vel
fidelium, quando moriuntur peccato per regenerationem & reno-
vationem Rom. vi. 2. 12. Coll. III. 3. ex quibus haud difficulter colli-
gitur solutio vulgaris aliàs ænigmatis Theologici: *Qui moritur,
antequam moritur, non moritur, quando moritur*: Moriuntur quoq;
fideles *legi* cum per justificationem, tum per sanctificationem, li-
beri enim sunt à legis imperio, & spontaneam ei præstant obe-
dientiam: *Legibus ceremonialibus* moriuntur, & mundo non am-
plius

plius vivunt crucifixi jam cum Christo Gal. vi. 14. vel *infidelium*,
quæ est à verâ vitâ Christo separatio, & mors in peccatis Matt.
viii. 22. 1 Tim. V. 6. hinc & mors secunda dicitur Apoc. ii. ii. cap.
XX. 14. Sumitur etiam *politice* pro *civiliter* mortuo, de qua signi-
ficatione vid. J. Cti, in specie problem jurid. an detur resuscitatio
mortuorum? Adrian. Beier, J. U. D. Jen. 1665. edit. quæ tamen si-
gnificationes non sunt hujus loci, sed de illâ hîc morte loquimur,
quæ Diaboli invidiâ introducta, propriâ hominis delinquentis
culpâ contracta, atq; ab irâ Dei vindice omnibus hominibus
pœnæ loco irrogata animam à corpore dividit separatq;.

V. Separationem esse *Mortem* negat infausta Fausti Socinî
proles infelici se ipsam secessu ab Ecclesiâ Christi separans, exi-
stimatq; eam per annihilationem definiendam potius esse, quam
tamen sententiam ne saniores Philosophi quidem admittent, ne-
dum è S. Literis melius edocti verbiq; divini claritate illuminati
Theologi, qui noverunt, corpora nostra in pulverem, unde desum-
pta sunt, redigenda esse Gen. iii. 19. Eccl. Xii. 7. corruptionem vide-
dere Ps. XVI. 10. Actor. II. 22. 31. cap. XIII. 3. 36. 1 Cor. XV. 42. dormi-
re in cubilibus suis & quiescere, seminariq; Joh. XII. 24. 1 Cor. XV.
43. dissolvi Phil. I. 23. 2 Tim. IV. 6. custodiri à Deo, ne ossiculum
pereat Ps. XXXIV. 21. Agnoscant hanc verbi divini claritatem, nisi
planè cæcutire velint: Pulverem esse non ens, ne tyro quidem ad-
mittet: corruptionem fieri manente adhuc aliquâ materiâ; anni-
hilationem autem nullam post se relinquere, notius est quàm
quod dicatur. Ipsi fortassis dormiunt, cum non agnoscunt, vel sal-
tem agnoscere nolunt, dormire & quiescere non esse affectiones
⁊ nihili. Semen in terram projectum, si annihilaretur planè, quo-
modo suo iterum tempore progerminare posset? Ast veluti ab-
surdum videtur coram insipientium oculis, quibus nihil de messe
constat, grana frumenti in terram conjicere; Sic illis fortasse,
cum mortem plenariam annihilationem esse statuunt, & non agno-
scunt tristem ejusmodi sementem latissimam sequi messem, ubi
ossa nostra graminis instar revirescent Es. XXVI, 14. ἀνάλυσίς sanè
non est omnimoda annihilatio, sed totius compositi dissolutio,
in quâ tantum abest, quò partes in nihilum redigantur, ut potius

anima ad Deum redeat, corpus verò terræ mandetur atq; inferatur. Domus nostra terrestris corporisq; tabernaculum dissolvitur 2 Cor. V.1. domus autem destructio non fit materiæ annihilatione, sed ædificii contignationumq; dissolutione, & in quem usum omnia nostra ossa custodiri dicerentur à Deo, si in nihilum planè abirent, sic Deus nihili custos constitueretur.

VI. Dicta Scripturæ quædam conquirunt dicam an detorquent: Præprimis istum loquendi modum: *quòd non sunt*: in locis Ps. XXXIX.14. Jer. XXI.15. (quæ verba ex eo repetit Matthæus cap. II. 18.) Thren. V.7. maximè sententiæ suæ favere putant, sed, ut dixi, putant. Inspicienti enim hæc verba penitiùs oppidò apparet, loqui eadem de toto composito, non de partibus seorsim consideratis, accipienda esse non *ἀπλῶς*, sed secundum quid, nimirum non amplius illos esse in his terris, in regione viventium, neq; suis amplius solatio posse, & in militante Ecclesiâ cum aliis Deum celebrare pœnitentiãq; agere posse: hæc phrasis non ita absolutè sumenda, quasi nullatenus existant, quod & ipsi adversarii credo non facilè admittent, de Henocho enim dicitur: (qui tamen *וַיֵּרָא אֱלֹהִים*) *Et non ipse*, sc. amplius visus est in his terris, quod Hebr. XI.5. explicatur, per τὸ ἐχέουσα κεῖ, quia tulit eum Deus Gen. V.24. De Sanctis iliis, quos Christus iu diebus carnis suæ à mortuis resuscitavit, quis *ἀπερ γραφῆς* eos in nihilum esse redactos assereret? Imò resurrectionem videntur negare, quia potius creatio dicenda esset, quæ tamen divinæ quieti repugnat, quàm resurrectio, illud enim quod cecidit resurget, corpus autem juxta illos in nihilum redigitur, E. nihilum resurget: In hoc verò latibulum quærunt, quando generationi resurrectio assimilatur, quia in generatione novum corpus producitur: sed proprio se videntur jugulare gladio, generatio enim fit ex aliquâ materiâ, opponiturq; corruptioni, non annihilationi, quanquam nec generatio vocetur, sed *παλιγενεσίς* Matth. XIX.28. *ubi non corporis novi productio nedum ex nihilo creatio intelligitur, sed totius nature spiritualis instauratio, per quam mors & peccatum penitus abolebuntur*, uti loquitur Venerandus canitie senex Magnif. Dn. D. Calovius in Socinism. Proflig. Section. X. Artic. I.

pag 1020. Nec hos ipsos juvat, quando in Scripturâ dicimur filii resurrectionis Luc. XX. 36 phrasi enim hâc more etiam loquendi apud Hebræos usitato indicatur particeps resurrectionis, quando è terræ sinu tanquam Matre prodibimus, ut vers. 34. nominantur aliqui filii hujus seculi, per quos intelliguntur illi, qui in seculo hoc vitam agunt, mundoq; student. Quæ de ventre destruendo ex 1 Cor. VI. 13. afferunt, vix digna sunt, quæ destruantur, Paulus enim de ventre abolendo non ratione substantiæ, sed ratione usûs & indigentia loquitur.

VII. Omnibus hominibus subeundam esse semel mortem neminem dubitare permittet minimè fallax rerum magistra experientia, & dicta Scripturæ, cum *affirmativa*, quæ moriendi necessitatem indicant, 2 Sam. XIV. 14. Syr. VIII. 6. cap. XIV. 17. Rom. V. 12. tum *negativa*, quæ nullum à communi hâc moriendi necessitate excludunt, Ps. LXXXIX. 49. Heb. IX, 27. nisi unicum Henochum atq; Eliam excipere velis (qui tamen ut extraordinaria exempla universalem atq; ordinariam mortalitatis regulam non tollunt) & illos, quos dies extremus vivos deprehendet, qui tamen mortis analogum quid (quod immutationem Paulus vocat) patientur.

VIII. Verum enim verò, quò certior est *Mors*, eò incertior nobis est ejus hora!

Mors certa est, mortis nihil est incertius hora!

Quod moveris, certum est, incertum, ubi, quomodo, quando.

Quâ ignorantia obicem posuit divina *ἀγνοία* carnali securitati, hunc enim in diluculo suæ ætatis abripi, illum in virili robore, istum in tristi senectute videmus, & toties mortalitatis nostræ admonemur, quoties morbis tanquam mortis fecialibus à Deo visitamur. Constitutum quidem esse homini terminum à Deo, edocent nos S. Literæ Deut. XXX. 20. Job. XIV. 5. c. XVI. 22 Ps. XXXI. 16. Ps. XXXIX. 5. Ps. CXXXIX. 16. non tamen esse fatalem, intellige ejusmodi fatalitatem, quæ omnem causarum secundarum concursum planè excludat.

IX. Non desunt, qui luci huic tenebras offundant. Carnales homines variisq; immersi voluptatibus omnia cœcæ fortunæ adscripserunt, atq; fortuitis ejusdem casibus, sed horum damni se-

cutorum *αὐτογενέως* obicem ponit divina providentia, quæ ca-
 pillos nostros numeratos tenet, multò magis vitæ nostræ dies:
 Quæ passerculos in terram cadere non permittit, hominem no-
 bilissimam creaturam καὶ πολλῶν ἐπεθίων ἀγερέσσεια, quomodo
 cadere sinet? Absolutæ hujus fatalitatis Patronos in Stoicorum
 Scholis reperimus, quorum vestigia non obscurè premunt Calvi-
 niani, vel, quod nomen illis magis arridet, Reformati, vid. Batavo-
 rum epistolæ de hâc materiâ collectæ & editæ, ubi tamen ante o-
 mnia notamus, mortem omnibus post lapsum subeundam esse ne-
 cessariò, horam autem mortis, omnesq; circumstantias sine ullo
 causarum secundarum respectu ad fatalem immutabilemq; pror-
 fus necessitatem adstringere, temeritatis est. Moses septuagesimum
 vel octogesimum annum vitæ humanæ metam ponit Ps. XC. II. *Se-
 pties deni*, ait Macrobius, lib. I. somn. Scipion. cap. 6. *anni à Physicis
 creditur meta vivendi, & hoc vitæ humanæ perfectum spatium
 terminatur*; sed toto experimur die infantes quosdam vix in li-
 mine positos statim è vita avocari, & impios quandoq; in ipso me-
 dio vitæ cursu deleri. Sit nobis instar omnium in hâc materiâ ex-
 emplum Hiskia, cujus vitæ termino Deus quindecim adhuc an-
 nos adjecit. Ne verò quis existimet naturalem ejus vitæ terminum
 nondum adfuisse, perpendat Dei verba per Prophetam Esaiam
 prolata: *Dispone domui tue, tu enim morieris*: aut ergò concedes
 terminum ejus adfuisse, aut Deum simulationis accusabis, & ta-
 men vides ei ob pœnitentiam lacrymis commixtam vitam ad quin-
 decim annos usq; esse prolongatam: Qui plura ejusmodi exem-
 pla desiderat, adjungat, si volet Aaronem stantem inter vivos &
 mortuos Num. XVI. 48. & Davidem eodem ferè modo 2 Sam. XXIV
 25. & eundem in persecutione Saulis Soceri apud Kegilitas 1 Sam.
 XXIII. 12. 13. Ninivitas Jon. III. Pauli socios Actor. XXVII. 31. Taceo,
 quòd frustaneæ essent divinæ piis factæ promissiones de vitæ lon-
 gævitate, & impiis comminationes de ejusdem abbreviatione, or-
 dinariè Deus piis promisit μακροβιότητα, extraordinarium quid
 est, quando filiulus etsi morigerus præmaturâ morte abripitur, ne
 malitia pervertat intellectum illius, futurisq; adversis involvatur.
 Impiis Deus βραχυβιότητα minatus est, sed ex merâ μακροθυμία
 tempus

tempus poenitentiae illis concedit etiam ad centum & viginti annos Gen. VI. 3. Rom. II. 4. 6. Nemo facile dixerit formosissimi Abso- lonis in tanto corporis vigore constituti mortis genus fuisse fatale, non enim fatum quoddam inevitabile prolixam ejus comam arborum ramis implicuit, sed inobediens ejus adversus Parentem seditio atq; vesana dominandi libido. Diluvio periit primus mundus non ex fatali quodam decreto, sed quia omnis caro viam suam corruperat: Sodomitæ sulphure ignito cœlitus delapso non deleti fuissent, si decadem justorum Deus in eorum regione reperisset. Gen. XVIII. 32. Ahasia convalescere potuisset, nisi idolum Ekronitiæ de morbo suo consulisset 2 Reg. I. 16. Pueri in Bethel urforum ungues evasissent, nisi temerè Prophetæ Elisæo illu- sissent, Imò frustra Deus medicamenta creasset, atq; medicum honorare jussisset Syr XXXVIII. 1. qui furarentur, fato furarentur, & facto suspenderentur: Et videri non possum, quâ ratione Deum stante hac hypothesi liberare vellent & possent à peccato (quod tamen blasphemum in sanctissimum nomen) carnalis quoque securitas plenis velis inveheretur & introduceretur: *Si planè terminus vite fatalis esset*, ait B. Dn. Danhauer. Hodosoph. phænom. III. pag. m. 330. *ridiculi forent, qui aut pericula fugerent, aut vite servandæ remedium quærerent. Nam quod fit necessitate planè inevitabili, id neque mediis illis protrahi, neque periculis ullis abrumpi potest.* Conf. Ejusd. Hodomor. Spir. Calvin. pag. 865. & seq. & D. Ægid. Hunn. qq. de provid. pag. 39. Astrologos judicarios, qui ex astro- rum influxu fatalem quendam vitæ humanæ terminum figere conantur, mittimus ad cataclysmum, Sodomitas, & illos, quos infelici ruinâ turris Siloha oppressit: videant ibi, an omnes illi, qui diluvio, pluviâ sulphuratâ, lapidumq; pondere perierunt sub uno eodemq; cœli schematismo & Planetarum aspectu prognati sint, quos uno tempore, unâq; horâ extinctos esse illi noverunt, qui sacras literas primoribus tantùm labris degustârunt.

X. Semel tantùm moriendum esse homini suprâ diximus, quod tamen de ordinariâ naturæ lege intelliges, & duos istos immortalitatis Candidatos Henochum & Eliam (ut suprâ quoque monuimus) excipies, cum illis quoq; quos extremus dies vivos de-
pre-

prehendet : Unicus tamen posset suboriri scrupulus de bis-mortuis, quorum strictè ita dictos octo sacra pagina numerat, de quibus quæritur, an semel tantùm naturæ debitum persolverint ? an iteratâ quoque vice hanc lethi viam calcaverint ? quod posterius affirmamus. Dari autem ejusmodi bis-mortuos omninò ex S. Literis persuasi sumus, & quidem tres V. & quinque N. T. à spuris aliis cautè distinguendi, aliàs nota sunt, quæ circumferuntur vulgò de muliere Coloniensi apud Mersæum in catalog. Episcop. Coloniens. & de Materno, primo, ut traditur, Argentinensium Apostolo, quæ tamen fabula artificiosius quàm veriùs, incisa visitur ligno tilietino in choro ædis S. Petr. Senior. Judice Excell. Dn. D. Bebelio, Viro antiquitatis peritissimo, in antiquit. Eccles. Argentorat. Art. II. §. 4. Primus inter verè tales in V. T. est filius viduæ Sareptanæ ab Eliâ in vitam revocatus 1 Reg. XVII. qui an Jonas fuerit, alii inquirent ? Alter est filius hospitiæ Sunamitiæ ab Eliæ discipulo Elisæo excitatus 2 Reg. IV. 25. Tertius est anonymus iterum, qui ob irruentes Syrorum copias à vespillonibus injectus sepulcro Elisæi ex contactu ossium Prophetæ statim revixit. 2 Reg. XIII. 21. In N. T. reperiuntur duo ab Apostolis resuscitati Petro & Paulo, & tres à Christo ipso, ubi elegans est Magni Gerhardi Tom. IX. LL. Theol. de Resurr. mortuor. §. 28. ex Nysseno observatio, qui quasi quosdam gradus juxta ministerii Christi annos constituit, inquit : *Primo anno excitavit filiam Jairi modo defunctam, neque dum domo ad sepulturam elatam : Secundo anno excitavit filium viduæ in Nain, qui jam dum ad sepulcrum efferebatur : tertio anno resuscitavit Lazarum sepulcro jam dum illatum ; & ante quatrimum mortuum, tandem etiam proprium corpus divinâ virtute ex mortuis resuscitavit, quod est miraculorum omnium maximum & divinissimum, ut nos in fide resurrectionis confirmaret.* Exordium fecit in filiâ Jairi, quæ historia in majorem fidei confirmationem à tribus Evangelii testibus conscripta extat. Matt. IX. 18. Marc. V. 22. Luc. VIII. 41. Hanc in ordine sequitur juvenis Nainiticus Luc. VII. tertium locum occupat Lazarus, Marthæ & Mariæ frater, Christo eximiè charus atq; ejus amicus, quæ historia, quare apud solum Johannem reperiatur cap. XI. vide conjecturam non im-

improbabilem Hug. Grotii in h. l. In ordine quarta à Petro excitata fuit mulier insigniter pia *πλήρης ἀγαθῶν ἔργων καὶ ἐλεημοσυνῶν, ὡς ἐποίησεν* Tabitha nomine Actor. IX. 40. ultimus qui agmen claudit est Eutyclus à Paulo in vitam revocatus Actor. xx. 9. Mortuos autem esse secundâ vice, ὅπερ εἶδει δεῖξαι, quod præstare nos posse existimamus, si observaverimus, quod filius ille viduæ Sareptanæ ab Eliâ suscitatus dicitur (non in gloriam cœlestem abreptus, sed matri traditus 1 Reg. xvii. 23. quod etiam dicitur de filio viduæ Nainiticæ Luc. vii. 15. de puero ab Elisâ excitato refertur, quod tempore famis per integrum septennium extera loca peragrârit cum matre 2. Reg. VIII. 2. 5. filia Jairi cibus est appositus Marc. V. 43. Luc. VIII. 55. Lazarus mensæ accubuit Joh. XII. 2. & cibum sumsit, non ut Christus post suam resurrectionem κατ' οἰκονομίαν, sed ex necessitate, immortalem eum nequaquam fuisse patet ex eo, cum invidiâ æstuantibus Sacerdotum principes quæsierint eum interficere vers. 10. & quis affirmabit, puerum ab Elisâ excitatum per integrum septennium, & Lazarum per triginta annorum spatium, quos supervixisse adhuc post suam à mortuis suscitationem tradit Epiphanius, ex dispensatione comedisse; Imò ex generali regula homo pulvis in pulverem est convertendus Gen. III. 19. & peccatum tam altis in homine egit radices, ut in cinerificatione & putrefactione demum desinat, probabile ergò videtur, eos peccati nondum satis extincti stipendium mortem rursus subiisse: Accedit & hoc, quòd mortui sint, non ut naturæ debitum solverent, sed ut Christo ad gloriæ suæ manifestationem ansam darent. Sanctos illos redivivos (de quibus vid. disp. spec. B. Dn. D. Kunad.) qui tempore passionis Christi è monumentis suis prodierunt, in cœlum cum Christo evectos esse piè cum venerandâ antiquitate credimus. Ubi autem animæ illorum intra illud tempus, quo morti fuerunt traditi, fuerint, curiosius quæri solet, quàm fructuosius, non enim in cœlo videntur fuisse, quia non satis congruum videretur divinæ bonitati easdem ex statu gloriæ præter omnem suam culpam in statum infelicitatis ac extremæ miseriæ deturbare: non in inferno, quia de plerisque refertur, quod studiosi pietatis sectatores fuerint, & ex illo nulla redemptio sit speranda;

C

randas;

fanda; E. in statu quodam intermedio, qui locus vel limbo Patrum
 infantumq; fulcra substituet, vel purgatorium accendet rursus, eiq;
 pabulum subministrabit, adde quod planè nihil de loco tertio re-
 tulerint: Sed nolo hîc esse prolixus, & respondeo verbis judicio-
 sissimi Dn. D. Danhauer. Hodof. phæn. XII. pag. m. 1432. qui brevi-
 ter, nervosè simul, & accuratè pro more suo rem totam comple-
 xus est: *Scrupulus, ait, de loco animarum Lazari, Filie Jairi, Euty-
 chis, (idem de aliis esto judicium) ubi ille fuerint intra tempus mor-
 tis, & miraculose resurrectionis facile eximitur, si respondeatur, vel
 in cœlo, ad eum modum, quo S. Paulus raptus est in tertium cœ-
 lum, vel in corporibus suis (non informando entelechialiter, sed assi-
 stendo) sicut anima Euty chis, quæ fuit in ipso Actor. XX. 10. vel in τῷ
 extraordinario, quod Deo notum.* Noli autem mirari B. L. quòd
 nihil de statu tertio retulerint, ipse enim Paulus fatetur, se audi-
 visse ἀόρατα ῥήματα, quæ homo dicere non potest. Multum hîc
 probamus moderatum moderatorum Theologorum ἐπέχειν, &
 in loco dispensationis divinæ libenter acquiescimus, cum noveri-
 mus, à mansvetè quærentibus plenariam responsionem non exigi,
 curiosè autem sciscitantibus dari non posse.

XI. Deterioris esset homo conditionis præ aliis omnibus crea-
 turis, si in morte anima simul cum corpore interiret. Corpus qui-
 dem & ossa non ad religiosum cultum sunt asservanda, (multò
 minus vestimenta, de quibus incomparabilis Theologus B. Dn. D.
 Dorscheus in dissertatione de tunicâ Christi inconsutâ apud Tre-
 virenses, ut traditur, asservatâ ad Serenis. & Celsis. Princip. ac Dn.
 Dn. GEORGIUM WILHELMUM Com. Palat. ad Rhen. & c. & c. & c.
 Dominum meum Clementissimum, gloriosæ nunc recordationis,
 perscriptâ) & tantum abest, ut fundamentum hæc sententia habeat
 in Exemplo Elisæi, ut potius retorqueat hoc argumentum Magnus
 post primum Martinum Ecclesiæ Restauratorem Martinus secun-
 dus, Chemnitius, in nunquam satis laudato Examine Concil. Tri-
 dent. Neque de arboribus suspendenda, non in mare abjicienda,
 non canibus objicienda, non Vulcano tradenda, neq; cum risu &
 joco efferenda sunt, sed honestè sepelienda, inq; terram recondenda,
 à quâ desumpta sunt, (non enim ab adamante duro, sed ab ἡμῶν
 terrâ

terrâ fragili originem nostram deducimus) moderatoq; Iuctu
 absq; omni luxu prosequenda, ut hinc minus probari queat Ita-
 lorum levitas, qui, quod fœdum dictu, mortuos suos fuco illini-
 unt quandoq; ut venustiores in morte, quàm in vitâ appareant, teste
 Camerar. lib. I. Hist. med. cap. 69. Mirum autem non est Ethnicos
 barbaros suos vitâ defunctos minùshumaniter tractâsse, cum spem
 resurrectionis nullam habuerint, sed potiùs optimum demortuo-
 rum sepulcrum aliqui existimaverint, si eosdem deglutirent, & de
 barbaris Tovoupinaumbaltiis scribitur, quòd captivos suos im-
 pinguent eò diligentius, ut deglutiant delicatius. vid. de hâc cru-
 delitate ejusq; ritibus historiam Navigationis in Brasiliam, quæ
 & America dicitur, Joh. Lerij Burgundi cap. XV. pag. 183. seqq.
 Nos verò cum Scripturâ affirmamus, non animam solùm, sed &
 corpus à Deo creatum esse, corpora quoque nostra esse membra
 Christi pretioso ejus sanguine redempta Eph. V. 30. templa & ha-
 bitacula Spiritûs S. 1 Cor. III. 16. cap. IV. 19. corpus quoq; gloriæ
 futuræ particeps redditur, & à Spiritu S. in hâc terrâ regeneratur
 & sanctificatur: misericordiæ opus quoque reputatur sepultura
 Ruth. I. 8. 2 Sam. II. 5. ejus autem denegatio pars poenæ Gen. XV.
 15. Deut. XXXIV. 6. 1 Reg. XIV. II. 13. 2. Reg. IX. 33. Ps. LXXIX. 3.
 Jer. VIII. 1. cap. XXII. 18. Viam nobis præmonstravit Patriarcha
 Abrahamus, qui Saram suam sepelivit Gen. XXIII. 19. Jacob à filiis
 dicitur sepultus cap. L. 13. & Mosen Deus ipse sepelivit Deut. xxxiv. 6.
 quam Mosis sepulturam prolixè profecutus est Joh. Ernest. Ger-
 hardus, Magni Gerhardi filius in disp. spec. Jacob dilectissimæ suæ
 Racheli epitaphium erexit Gen. xxxv. 20. Jacobum defunctum filii
 aromatib. condiverunt Gen. L. 2. David Sauli & Jonathani epicedia
 scripsit 2. Sam. I. 17. mulieres מקננו (quas olim præficas voca-
 bant) funus præcessere Jer. IX. 17. tiliarum concentibus ad com-
 miserationem moventibus Matth. IX. 23. usi sunt, quos Syrus
 اصاب appellat, quorum Ovidius etiam meminit lib. 6.
 Fastor. *Cantabat mæstis tibia funeribus:* Successu temporis subinde
 ritus illi succreverunt, de quibus vid. Admod. Reverend. Dn. D.
 Qvenstedt, lib. de rit. funer. Corpora lavârunt Act. IX. 37. vestes
 lugubres induerunt, cereos prætulerunt, psalmos cantârunt, &

post curatum funus eleemosynas erogârunt, quod in pluribus locis adhuc in usu est, inq; his ipsis regionibus, quos ritus ulterius profecquitur Chytræus de vit. & mort. pag. 106.

XII. Corpus terræ mandavimus, unde resurrectionem suam expectat, videamus, ubi anima remaneat, & quod ei domicilium præparemus. Fuerunt omni tempore, qui si non apertis verbis, factis tamen & re ipsâ animæ immortalitatem negârunt, quorum impias cogitationes vocesq; vesanas exprimit Esaias cap. xxii. 13. conf. Sap. II. 2. seqq. 1 Cor. xv. 22. Sec. III. fuerunt hæretici Arabici dicti, qui animam quidem interire cum corpore, resurgere autem cum eodem in novissimo die statuerunt. Seculo VII. floruerunt hæretici ab errore Thnetopsychitæ dicti, qui Philosophos antiquos magnam partem secuti sunt, quorum tenebris obscuratus intellectus sibi soli relictus certò animæ immortalitatem assequi non potuit, quod ex solo illo celebri apud Ciceron. lib. i. Tuscul. quæstion. colloquio manifestum est, ubi alter ab antagonistâ jubetur evolvere Platonis de animo librum, ille respondet: *Feci me hercule, & quidem sapius: sed nescio, quomodo, dum lego assentior: cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cæpi cogitare, assensio omnis elabitur.* Quod de Platone mirari noli, ille enim procul dubio in his ut in aliis Mosis plagiarium se præstitit. Alii non interire quidem, sed meliùs quid dicam, an deterius de eadem sentire cœperunt, animas exspiratas huc vel illuc oberrare, & in aliud hominis vel bruti (quod tamen modestiores non admiserunt) corpus migrare: digna sanè ejusmodi brutalis ingenii hominibus sententia. Hujus sententiæ Patroni fuerunt Zoroaster, Pythagoras antiquus Philosophus, qui ad Græcos impurum hoc dogma asportavit, à quibus Ægyptii didicerunt; Zoroastrum insignem Magum cum in arte magicâ tum in hoc errore secutus est Simon inde Magus dictus, quod elegantissimè ex antiquitate & Philosophiæ Barbaricæ Græcæ fontibus demonstravit Vir maxime Reverendus atque Amplissimus Dn. JOH. HENR. HORBIUS Theologus & Ecclesiarum h. t. citerioris districtus Sponheimensis Gravissimus, Patronus atque Promotor Parentis loco tam ob summum, quo me complectitur favorem & amorem, quàm ob plu-
rima

rima, quæ in me extant beneficia æviternum venerandus in disqui-
 sit. de ult. orig. hæres. Sim. Mag. cap. II. Poëtarum de hâc mate-
 riâ mentem colliget diligens lector ex Virg. lib. 6. Æneid. ejusq;
 συγχρόνω Horat. lib. 2. Carm. Od. 20. Ovid. lib. 15. metamorph. Ti-
 bull. lib. 4. Origo hujus sententiæ prostat in jam laudatâ disquisi-
 tione: Hodie in Angliâ hanc adhuc defendunt sententiam hæreti-
 ci Ranteri dicti, de quibus vid. libr. cui titulus: *Der Ranter Geist*.
 Facilius autem condonari hæc possent illis extra Ecclesiam con-
 stitutis Scripturâq; S. carentibus hominibus, quàm istis, qui cu-
 stodes λογίων τῆ θεῆ audiunt Rom. III. 2. Judæos puto, quod col-
 ligit ex illorum hypothésibus Drusus part. II. in annot. in N. T.
 Matth. XVI. 14. ubi ex illis recenset, quod statuunt, in Christum
 animam Adami per Davidem migrâsse, quod pro more suo so-
 mniandi Cabalístico ex voce אדם exsculpere volunt, deno-
 tantes per אדם Adamum, per דוד Davidem, per משיח Messiam, additq;
 credidisse aliquos piè (scil.) ideò avicu-
 las puras Deum in sacrificiis mactare mandavisse, quia piorum
 animæ in illas transmigrârint. Alios hæreticos Carpocratianos,
 Gnosticos, Marcionitas, Manichæos, aliosq; brevitatis studio lu-
 bens prætereo. Modestiores fortassis sibi videri volunt, atq; in
 nobilissimam hanc hominis partem paulò æquiores, qui affirmâ-
 runt, animas post mortem nec lætitiâ affici, nec tristitiâ, nec pati
 quicquam aut intelligere, sed sine sensu & intellectu, atq; sic sine
 vitâ stertere, & rerum omnium oblivione teneri, imò profundo
 quasi somno correptas dormire, quem errorem Vigilantio (Dor-
 mitantio potiùs, quia minùs vigilanter de animæ suæ salute sibi
 prospexit) adscribunt. Græcos & Armenos hujus erroris damnavit
 Innocentius III. contra Anabaptistas hâc in parte scripsit Calvi-
 nus, novamq; hanc doctrinam novo nomine ψυχωπαυχίαν ap-
 pellavit part. II. tract. varior. pag. 449. Bullinger. advers. Anabapt.
 cap. 10. Schlüsselburg. catal. hæret. de Anabapt. Et superiori se-
 culo acriter hanc sententiam defendendam suscepit, multisq; ra-
 tionibus (numero tamen potiùs, quàm pondere valentibus) propu-
 gnavit Matthias Devvayus. Photiniani, an ab hoc errore planè sint
 immunes, ipsi videant.

XIII. Nos devia hæc trivialis declinantes regiã incedemus viã faciem nobis præferente Scripturã sacrã, animamq; post mortem superstitem esse probabimus : Monstrat id nos Servator noster, cum nos bono animo esse jubet & securos ab hostium tyrannide, qui corpus quidem, animam verò occidere non possunt. Matth. X. 28. conf. Gen. I. 17. 27. Exod. III. 6. Luc. XXIII. 43. 2 Cor. V. 1. 2. Phil. I. 23. vid. Excell. Dn. D. Siricius Prof. olim Theol. in Acad. Giess. nunc Güstrov. Mecklenburg. Superint. de immortal. anim. Immortalis quidem est anima, non tamen ἄσποδός, sic solus Deus apud Paulum emphaticè in præsentem dicitur habere immortalitatem I Tim. VI. 16. sed ex creationis gratiã ita est condita, ut non intereat; Largimur facilè negare quædam dicta hominibus defunctis regressum, sed loquuntur de regressu naturali, & hominibus possibili ad hanc vitam, qui neutiquam datur. Quando laudes defunctis denegantur, intelligendum id est de Ecclesiã militante, non triumphante, deserunt enim esse in choro viventium. Salomonis aliqua dicta duriuscula videntur, quæ tamen loquuntur de moriendi necessitate, non statu post mortem: *Unus, ait, est interitus hominis & jumento, unus scil. moriendi necessitate, non qualitate: resolutione corporis in pulverem, non animæ: Homo enim vulgariter loquendo nihil habet jumento amplius, præter domum sepulcri, quam Chaldæus excipit: Quis novit, an spiritus hominum ascendat sursum an descendat deorsum terram?* quis scil. ex se, sibi relictus, novit apodicticè, ex fide divinã: Salomon alioqui ad hoc problema ex spiritu divino ipse respondit Eccl. XII. 7. vid. Danhauer. Hodof phæn. V. pag. 424. Neq; in certis sedibus vagatur anima, absurda, quæ inde fluere in articulis creationis, redemptionis, sanctificationis, resurrectionis & salutis æternæ nolo jam recensere: Quicquid sit de Nebucadnezaris exemplo, nondū enim evictum est eum in bestiam transmutatum esse, vel bestię animam in eum migrasse; alia Scripturæ loca quod attinet, ea de morum brutalium imitatione loqui quisq; videt? Ethnicorum de statu animarum separatarum somnia recitasse saltem, sit refutasse, cum ipsi saniores talia riserint. Bonus fortassis apud illos dormitat Homerus, & in somnio loquuntur, qui animas dormire statuunt, sanè stolis albis, tanquã gloriæ & festivitatis

tatis indicibus, quibus animæ apocalyptica circumvestitæ conspi-
ciuntur, non dormientes, sed vigiles induuntur: Quis dixerit? Mo-
sen & Eliam colloquio sese cum Christo oblectantes dormivisse, atq;
Abrahamum Isaacum & Jacobum discumbentes dormire: quale
lucrum referret, (ut mortem piorum Paulus appellat) qui tot se-
culis dormiret, præstitisset in corpore mansisse, & primitiis spiri-
tûs frui; Paulus sanè non ita anxie ἀπόλυσιν suam anhelasset, si ad
tot seculorum soporem illi migrandum fuisset? Neq; vitâ plenè
fruitur ille, qui stertit. *Si igitur, ait Cicer. lib. 5. de finib. quis-*
piam ita nonaginta annos velit vivere, ut cum sexaginta vixerit, reli-
quos dormiat, ne suos quidem id velint. Anne dormiunt, qui a-
gnum, ubi ierit, sequuntur & clamant voce magnâ, nisi forte an
noctambulones eas dicere velis: Et tu ipse somnum Epimenideum
dormire videris, qui earum clamore non expergisceris, imò evi-
gila, qui obdormivisti in peccatis, & Christus te illuminabit.
Quando superius mortem ex Scriptura somno comparavimus, ul-
trâ tertium comparationis cave extendas, præcipuè enim somnus
de corporibus dicitur, quod non obscure innuit regio prognatus
sanguine Propheta Esaias cap. LVII. 2. *ubi ait, illos, qui cum Deo am-*
bulârunt, secundum animam venire ad pacem, secundum corpora
quiescere in cubilibus suis, à labore scil. à miseriâ & persecutioni-
bus: quiescere etiam non semper est dormire, Deus opere crea-
tionis absoluto dicitur quievisse Gen. I. 1. nec tamen ille dormit &
dormitat Ps. CXXI. 4. Spiritus statim redit ad Deum, qui dedit
eum Eccl. XII. 7. piorum animæ transportantur in sinum Abrahæ
Luc. XVI. 22. Sunt in manu Dei Sap. III. 1. inscripti Es. XLIX. in peren-
ni memoria, ut annulus Cant. VIII. 6. quod certè magnum est, aliàs,
ait Danhauer. Hodof. phæn. XII. pag. 1431. quæ homo in manu por-
tat, facile excidunt, hinc posui animam meam in manu meâ, Hebræo-
rum est proverbium, quo certum significatur vitæ discrimen Job.
XIII 14 Ps. CXIX. 109. nam quæ manibus tenemus, illa variis sunt
exposita periculis, nempe ut excidant, aut eripiantur è manibus, quæ
gestantur, vestimenta sc. aliq; onera omnia alligata sunt corpori: at
quæ manu gestantur soluta sunt. Et si compressam manum explices,
continuo excidunt. At quæ Dominus in ovo arctè manu tenet, omni
perie

periculo ἐκπρωτῶσεως vacant, & morse est talis Evangelista piorum, qualis fuit Moses Israëlitarum in Aegypto. Impiorum verò animæ, quasi è fundo ejaculantur 2 Sam. xxi. 29, atque ab impuris spiritibus diu multumq; circumagitatae in locum Ἐσάβη rapiuntur & præcipitantur, vid. Magnif. Dn. D. Præl. in dispp. de statu animar. separat, & Anonym. de statu & loco animar. separat, quem refutavit Excell. Dn. D. Bebelius, Vir non minori humanitate quàm Eruditione Celeberrimus Patronus atque Præceptor meus, cùm Argentorati commorarer, ætatèm colendus.

XIV. Unicum autem monendum restat, antequam hunc de morte locum claudamus, nempe an animæ separatae ea, quæ in terris geruntur, cognoscant? Affirmativa sententia videtur niti Luc. xvi. ubi in illâ parabolâ, (vel quod aliis etiam placet, historiâ vid. disp. spec. Dn. D. Nieman:) dives epulo quinq; fratrum recordatur, & ab Abrahamo omnium acceptorum bonorum admoneatur: cognitionem tamen illam generalem esse arbitramur, nec extra specialem revelationem distinctam, solus enim Deus est καρδιογνώστης, qui renes & corda scrutatur, atque hunc omniscientiæ honorem sibi soli proprium alteri non concedit, Abraham nescit nos, & Israël ignorat nos Es. xxxix. 8. imò tantùm abest, ut Angeli omnia sciant ut potius desiderent ὁμολογημένως μέγα τῆς τῆ χειρὸς ἐνσαρκώσεως μυστήριον introspicere, illi legati tantùm sunt emissi à summo Monarchâ in ministerium eorum, qui salutem consequi debent Heb. i. 14. Cadit & hoc, quando animæ piorum dicuntur in essentia divinâ ejusdemq; claritate tanquam in speculo cernere omnia, cùm ille, qui Deum videt, omnia videat, quia est omnia in omnibus: Sed speculum potius ad hanc vitam pertinet, in qua per speculum videmus in ænigmate, in altera verò vita à facie ad faciem 1 Cor. xiii. 12. 2 Cor. V. 7. 1 Joh. iii. 2. 3. per speculum cognoscere imperfectionis est, quæ longissimè abest à futurâ gloriâ, nec sequitur, qui videt Deum ejusq; claritatem, ille omnia cognoscit, Solis videre potest aliquis claritatem, non tamen omnia, quæ sunt in sole: Angeli vident faciem Patris cœlestis, sed eos desiderare introspicere mysteria jam audivimus, & veluti per visionem hanc non redduntur Dii, ita nec omniscii. Transeant igitur ejus-

ejusmodi speculatores ad speculum, intueantur faciem propriam, maculasq; in eâ repertas corrigant & abstergant similes prudenti viro; Nos potius sequentes lucernam verbi divini novimus, nec Angelos, quibus nos saltem assimilabimur, ut fiamus ἰσάγγελοι, multò minùs animas esse omnipotentes, ideò nullam fiduciam in easdem collocandam, non omnipræsentes & omniscias, ideò non in auxilium vocandas, multò minùs religioso cultu devenerandas, quod declinat ex summâ modestiâ Angelus Apocalypticus Apoc. XIX. 10.

XV. Dormientes noctu dormiunt, sole autem exoriente evigilant; Sic mortui, qui dormientibus assimilantur, veniente Sole justitiæ Christo ultimo die omnipotenti ejus voce resuscitati evigilabunt & resurgent. Mors ut est vitæ privatio; sic resurrectio est quasi in integrum restitutio. Latissimæ est significationis, *genera- liter* sumitur de sessione corporali & resurrectione Ps. CXXXIX. 2. & de tota hominis actione ac conversatione. Thren. III. 63. *Specia- liori* significatu notat illam resurrectionem, quâ resurrexerunt illi à Prophetis, Christo, & Apostolis excitati, & resurrectionem Chri- sti Matth. xvi. 21. Marc. VIII. 31. etiam illam universalem omnium hominum, quæ est hujus loci. *Figuratè* etiam sumi consuevit vel *metonymicè*, sic Christus dicitur resurrectio Joh. XI. 25. vel *meta- phoricè* pro liberatione ex calamitatibus, veluti pericula dicuntur quandoq; mors Exod. X. 17. Rom. VIII. 10. 1 Cor. XV. 31. 2 Cor. I. 10. cap. IV. 11. cap. XI. 23. sic liberatio ex illis periculis resurrectio & exaltatio Ps. I. 5. Ps. IX. 14. Ps. XLI. 9. Es. xxiv. 20. c. xxvi. 14. Amos V. 2. cap. VIII. 14. sic in peccatis dicimur labi, hinc Græcis peccatum etiam dicitur ἁμαρτωμα, Latin. lapsus, German. Ein Fehl. oder Missethat; per conversionem autem resurgere dicimur. vid. Prov. xxiv. 16. Jer. vii. 4. Eph. v. 14. Heb. ix. 14. ἀμαρτωλοὶ dicuntur in peccatis mortui Joh. v. 25. Rom. vi. 4. Coll. III. 1. status verò υἰοθεσίας resurrectio dicitur Rom. vi. 5. Coll. II. 12. Coll. III. 1. Apoc. xx. 5. 6. imò ipso Deo usitatâ metaphorâ dormitio attribuitur, quando pœnas differt, vindictam verò exercens dicitur surgere ut heros Ps. XLIV. 24. Ps. LXXVIII. 65. Jer. xxxi. 26. Sap. III. 8. Aliis placet divisio resur- rectionis in *increatam* & *creatam*: *Increatam* vocant, quâ Deus

D

trinu-

minutus causa efficiens resurrectionis constituitur, *creatam* autem iterum subdividunt in *spiritualem, temporalem & corporalem*: *Ista* est, quâ quis ex statu peccati assurgit ad statum gratiæ, *illa*, quâ quis cadit prosperitate temporali & restituitur, ut in exemplis Jobi & Tobiaë videmus, *hec* est redunitio corporum cum animâ, quæ est hujus loci propria. Hebræis dicitur **חַיַּת הַמֵּתִים** Syris

ܐܘܪܘܟܝܢܐ **ܕܡܘܬܝܢܐ** vivificatio mortuorum, & eleganti emphasi

ܐܘܪܘܟܝܢܐ quasi dicas consolationē Joh. xi. 24. consolatio est in omnibus adversis, & fundamentum piis in ipsâ morte: vocatur il-

lis quoque **ܘܫܘܪܘܟܝܢܐ** scaturitio à rad. **ܘܫܘܪܝܢܐ** sca-

turivit, quia ille articulus est quasi fons uberrimus perennis aquæ vivæ ac salutaris consolationis perpetuò scaturiens, nunquam **ܐܘܪܘܟܝܢܐ**, ad quem sine dubio digitum intendit Salvator Christus in colloquio cum muliere Samaritanâ Joh. IV. 14. inquit: *Quis biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, ubi in Syriac. occurrit hæc ipsa radix: *fiet in eo fons aquarum*

ܘܫܘܪܘܟܝܢܐ scaturientium. Græcis dicitur **ἀνάστασις**,

ἀναστήσις, **ἀναζήσις**, **ἀναζήσις**, **ἀναζήσις** **ἀναζήσις** eleganter & emphaticè Matth. XIX. 28. in quo tamen dicto regenerationem ad præcedens membrum alii referre malunt, ut sensus sit: qui secuti sunt me per regenerationem: sed commodiùs videtur referri posse ad membrum subsequens, quò etiam Syrus respexit, quando quasi

ἐξηντημιῶς vertit **ܐܘܪܘܟܝܢܐ** **ܐܘܪܘܟܝܢܐ** in seculo novo seu

venturo, pertinent enim illa non ad descriptionem subjecti, sed ad determinationem temporis, quod colliges non solum ex sub-junctâ explicatione, *cùm sederit Filius hominis in sede majestatis sue*; Sed etiam ex diligenti Evangelistarum inter se collatione Marc. x. 30. Luc. xviii. 29.

XVI. Vana esset omnis nostra spes atq; expectatio, si nulla esset
MOR-

mortuorum resurrectio, quam tamen fundatissimam esse in S. Lite-
 ris indubitato novimus: *Nullum enim*, ait R. Simai (citante Petr.
 Galat. lib. XII. de arcan. cap. 2.) *extat capitulum Scripture, in qua*
non fiat resurrectio mortuorum. Singula S. Scripturae capita per-
 lustrare jam non vacat, è potioribus tamen V. & N. T. Oraculis
 eandem stabiliemus. Dudum ex protevangelio Gen. III. 15. resur-
 rectionem probârunt eruditi (imò quidam universam Theologiam
 ex hoc dicto eduxerunt) *quia mulieris semen conteret caput ser-*
pentis, quid autem est caput serpentis conterere? nisi opera Dia-
 boli, & sic mortem quoque invidiâ ejus introductam Sap. II. 24.
 dissolverei Joh. III. 8. mortem certè non temporalem, quàm neq; pœ-
 nitens effugere potest, sed æternam: Imò illius opera destruxit Chri-
 stus, qui mortis habebat imperium Heb. II. 14. Ulteriùs probatur ex
 clamore sanguinis Abelici, Gen. IV. 10. qui adhuc per fidem loqui-
 tur Hebr. XI. 4. Ex dicto Exod. III. 6. Christus Invictissimè conclude-
 bat contra Sadducæos, fore aliquam tandem resurrectionem
 Matt. XXII. 32 Marc. XII. 26. Luc. XX. 38. Præprimis classicus est lo-
 cus Job. XIX. 25. seqq. ubi Jobus fiduciali se nosse scientiâ confi-
 denter affirmat (quæ emphasis est vocabuli Hebræi גוֹעֵל) Goëlem
 suum ex consanguinitate quasi se redempturum fore, superq; pul-
 verem secum collocaturum: (transitivam quoq; hujus vocis si-
 gnificationem vid. Amos. VII. 2.) Hæc de restitutione temporali
 certè intelligi non possunt, quam ita apodicticè scire non potuit,
 & cum conditione voluntatis divinæ aliâs petere oportuisset, &
 tam manifesta est hæc de resurrectione mortuorum prophetia, ut,
 Hieronymo judice, *nullus tam aperte post Christum, quàm Jobus*
ante Christum de eâ locutus sit. Egregium in hunc locum commen-
 tarium reliquit B. Meisner. in disp. de fide Jobi ann. 1616. hic
 Wittebergæ habitâ. Plurima ejusmodi dicta colligi quoq; pos-
 sunt ex Psalmis Ps. III. 6. XVI. 19. XVII. 15. XXII. 27. & ex Prophetis
 I Sam. II. 9. Es. XXV. 8. (quod dictum ad resurrectionem applicat
 Paulus I Cor. XV. 54.) Es. XXVI. 19. cap. XXXV. 10. c. LXVI. 14. 16.
 typum resurrectionis vidit Ezechiel cap. XXXVII. Dan. XII. 1. di-
 cuntur multi resurrecturi, quod per omnes Christus explicat
 Joh. V. 28. vel multi dicuntur respectu eorum, quos dies extre-

mus vivos deprehendet, qui certè pauci erunt respectu habito ad illos multos, qui tot ab orbe condito seculis mortui sunt. Dicitum Of. VI. 2. exponunt aliqui de Christo, sed de nostrâ quoque resurrectione explicari posse existimarem, tres isti dies itidem huc accommodari possent, primus est obdormitionis, secundus in sepulcro expectationis, tertius autem resurrectionis. Of. XIII. v. 14. Paulus quoque de mortuorum resurrectione explicat 1 Cor. XV. 54. In N. T. Christus capillos nostros non perituros fore promittit (quam phrasin desumit procul dubio ex 1 Sam. XIV. 45. & 2 Sam. XIV. 11.) imò illos tanquam dilectum quid numeratos tenet. Confer plures de resurrectione conciones Christi Matth. XII. 41. seqq. Luc. XI. 31. 32. Matt. XXII. 31. Marc. XI. 26. Luc. XX. 38. Joh. V. 28. cap. VI. 39. 40. 44. 54. cap. XI. 24. 25. 26. cap. XIV. 19. quibus adde Apostolorum conciones Actor. IV. 2. cap. XVII. 18. c. XXIV. 15. Et ut rem brevibus complectar, sit nobis unus instar omnium Divus Paulus, qui luculentum de mortuorum resurrectione commentarium tanquam in propriâ sede exhibet 1 Cor. xv. per tot. Adde si lubet mantissæ loco ex apocryphis libris testimonia 2 Maccab. VII. 9. 11. 14. 23. cap. XII. 44. IV. Esdr. II. 16. 31. cap. IV. 41. 42. cap. VI. 21. cap. VII. 31. 32. Omnes verò resurrecturos esse homines negant Judæi, & ad pios tantum resurrectionem restringunt, & quidem prius istos pios resurrecturos esse credunt, qui in benedictâ terrâ Canaan sepulti jacent, illudq; ex desiderio quorundam Patriarcharum colligere volunt: Alios verò extra Canaan per occultos terræ meatus ingenti cum cruciatu usque ad eandem devolvendos esse. Typos de anno vernante, de pelecano pullos suos proprio sanguine conspersos vivificante, de hirundinibus æstivo tempore redeuntibus (de quibus vid. eleganter differentem *αυτόωτην* Georg. Maj. in comment. 1 Cor. xv.) de phœnice & aquilâ juvenescentibus philosophiæ curiosæ scrutatoribus relinquo: Nobis sufficit, quòd validissimis resurrectionem nostram fundamentis ex S. Scripturâ probaverimus, & noverimus, nos quoad substantiam resurrecturos esse, *quod tam creditis est necessarium, quàm quòd Deus justus sit* ait B. Hülsemannus Breviar. Theol. Extens. supplem. cap. XVI. §. 6. vid. 1 Thess. I. 7. 2 Cor. V. 10. Jobus in propriâ suâ carne &

hiscæ

hisce oculis suis visurum se esse Goëlem suum certò novit, *δεξι-
κτικῶς* quasi digito monstrando, veluti ipse Christus verba sæpè
gestibus adjuvare solitus est, neq; omni caret emphasi quaterna
pronominis *δεικτικῶς τῶς* repetitio apud Paulum 1 Cor. xv.
Æquum quoque est, ut illa ipsa caro, quæ fuit socia crucis, fiat
etiam socia lucis & gloriæ; illud corpus puniendum est, quod
peccavit, *unusquisq; enim reportabit in corpore suo, quæ fecit, sive
bona sive mala*, aliud peccasset, & aliud pœnam lueret, quod æqui-
tati divinæ minus congrueret, aliud certasset, aliud coronaretur,
quod bonitati cœlesti repugnaret; quam coronam quasi præsen-
tissimam exosculatur, deq; ea sibi maximè gratulatur Paulus 2 Tim.
IV. 8. Spiritualia quidem erunt nostra corpòra, non tamen spiri-
tus, glorificato enim Christi corpori assimilabimur, qui carnem
& ossa habuit Luc xxiv. 39. & eadem, uti probabile videtur, staturæ
resurgemus; Johannes enim magnos & pusillos stantes vidit co-
ram throno divino Apoc. xx. 12.

XVII. Non multis miremur, quòd plurimi hunc articulum in-
dubium vocare (negare planè non dixerim) non vereantur, si co-
gitemus, carnis resurrectionem esse fidei articulum, & sapientiæ
κειμήλιον solius Ecclesiæ proprium, nesciunt suo se metiri modu-
lo, sed potiùs rationis decempedâ immensos religionis nostræ agros
temerè satis definire non erubescunt, hinc Apostolorum de mor-
tuorum resurrectione concio visa illis fuit *ληρώδης λόγος* Actor.
xvii. 32. & tantum abest, ut scientiâ certâ & infallibili ex lumine
naturæ demonstrari queat, ut Festus Paulum de eâ differentem in-
fanire existimaverit Actor. xxvi. 24. Plinius celebris aliàs rerum
naturalium scrutator & indagator resurrectionem puerilia delira-
menta vocat, lib. 2 Natur histor. cap. 7. & lib. 7. cap. 55. Et crebrò
aliàs in ore habuerunt tritum illud:

Soles occidere, & redire possunt,

Nobis cum occidit brevis lux,

Nox est perpetuò una dormienda:

Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis:

————— Nec quisquam expergitus extat.

Illud autem magis mirari animum subit, quòd illi, qui diligentes

Scripturarum scrutatores (depravatores potius & ignorantiae fratres) videri voluerunt, idem negaverint, nempe Sadducæi Matth. xxii. 23. Marc. xii. 18. Luc. xx. 27. Actor xxiii. 6. Hymenæus & Philætus resurrectionem jam dum factam esse affirmarunt 2 Tim. II. 18. Nec in Ecclesiâ Corinthiâ defuisse, qui omninò immunes fuerunt ab hoc errore, colligimus ex disputatione Pauli contra eosdem Cor. xv. De Simone Mago vid. antea laudatam disquisitionem: Præceptorem suum Simonem secuti sunt Saturninus (vel ut aliis placet, Saturnilus) Basilides & Carpocrates, è cujus Scholâ postea Gnostici prodiere. Sec. II. floruerunt hæretici Floriani dicti, qui idem negarunt, quo seculo vixit etiam Athenagoras, qui elegantissimè simul & accuratissimè de hoc articulo contra Paganos disputavit, vid. prolixum eorum catalogum apud Gerhard. de Resurrect. mortuor. §. 37. Existimabant illi, rationi minus consentaneum esse corpora in pulverem redacta, in atomos resoluta, atq; à bestiis devorata, inq; eorum substantiam conversa redire & resurgere posse, sed dominium rationi majus, quàm par est, concedebant, captivare eandem debuissent juxta Apostoli monitum, sub obsequium fidei (ratio enim in divinis hisce mysteriis est deliratio) & mirari potius modestè Dei potentiam, quàm curiosè rimari articuli hujus evidentiam: Convertant hodie ejusmodi illusores alterum oculum in Dei voluntatem, alterum in ejus virtutem atq; potentiam, amplius, quod desiderent, non erit: Ille enim vocare potuit τὰ μὴ ὄντα, ut sint Rom. IV. 17. Deo nihil est impossibile Luc. I. 37. superabundanter potest facere, quàm nos percipimus aut intelligimus Eph III. 3. Si hæc frequentius considerarent, sine dubio resurrectionem non tam perfractè negarent: Illud enim Deo quoq; est possibile, quod minimè nobis est intelligibile.

XVIII. Communis quidem est mortuorum resuscitatio Trinitati, ut quando dicitur Exod. III. 6. *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi*, (Ex quo loco Christum contra Sadducæos disputasse supra notavimus) *Deus autem non est Deus mortuorum sed viventium: Quæ trina vocabuli Deus repetitio, si mysterio careret, addidisset sine dubio altissimum Numen Deus Josephi* judicat acutissimus Theologus Danhauer. Hodof. Phæn. III. p. 267. add. Pf.

EXVII. 21, 2 Maccab. XLV. 7. 23. Speciatim tamen tribuitur *Patri*
Rom. VIII. 11. 1 Cor. VI. 14. 2 Cor. IV. 14. Eph. II. 6. 1 Thess. IV. 14.
1 Tim. VI. 13. *Filio* Job. XLIX. 25. Joh. V. 28. 29. c. VI. 39. 40. 44. 54.
c. XI. 25. Actor. XVII. 31. Phil. III. 21. Apoc. I. 18. 1 Cor. XV. 21. 22. Act. III.
15. Hæc confer omnia loca, quæ confirmant, *Filium omnia habere,*
quæ Pater habet, & omnia operari, vid. Joh. X. 30. c. XVI. 15. imò
in diebus carnis suæ specimina quædam resurrectionis edidit, de
quibus supra: *Spiritus S.* Ezech. XXXVII. 14. Ubi non anima intel-
ligitur vers. 10. non ventus vers. 9. sed Spiritus S. qui à Patre pro-
cedit, hinc quoque eum vocat *רוח* vers. 14. qui exsiccata hæc
ossa vivificare potest vers. 9, conf. Rom. VIII. 11. hinc etiam credi-
mus cum Symbolo Niceno *in Spiritum S. vivificantem.* Resurgent
autem homines diversimodè pii virtute meriti & resurrectionis
Christi, ille enim habet claves mortis & inferni Apoc. I. 18. cui tan-
quam triumphanti victori traditæ sunt Os. XIII. 14. 1 Cor. XV. 25. 26.
Apud Johannem cap. XI. 14. & cap. XIV. 19. nos consolatur Chri-
stus, inquiens: *Vivam ego, & vos vivetis,* emphaticè in temp.
futur. i. e. in omnia secula; Impii verò resurgent ex decreto & vi
justitiæ divinæ, non ad vitam, sed ad mortem æternam, neq; enim
sunt viva Christi capitis membra, ideoq; hujus fructus participes
esse nequeunt, non sunt *σύνμορφοι* corpori Christi Rom. VIII. 29.
Phil. III. 10. aliàs sequeretur Christi quoq; membra infernalibus
quondam flammis torquenda cruciandaq; esse, atque duo contra-
rii effectus uni Christo attribuerentur, adde, quod resurrectio
Christi describatur, ut salvifica Rom. IV. 25. 1 Pet. I. 3. Si autem im-
pii ejus virtute resurgerent, etiam salvi fierent. Beneficia Christi
amplissimæ quidem interpretationis esse non ignoramus, sed sa-
lutaris fide facta applicatio accedat necesse est, aliàs Samuel Hu-
berus rectè quoq; conclusisset: Electionis causæ, nempe meritum
Christi, & benigna misericordis Patris cœlestis voluntas sunt uni-
versales: Ergo electio quoque, & per consequens salus æterna esset
universalis, quam tamen sententiam dudum improbârunt Theo-
logi. Eorum, qui nostræ adversantur sententiæ, non una eademq;
mens est, & quoniam plurima examinanda restant, properamus ad
novissimum subsequens, si hoc saltem addiderimus, quòd sub ini-
tium

tium hujus seculi hâc de re controversia orta sit inter duos
A. C. addictos Theologos, Henricum Boëtium, & Fridericum Bal-
duinum, illum Academiae Juliae, hunc Leucoreae nostrae Professo-
rem, qui adversus Boëtium nostram sententiam masculè de-
fendit.

XIX. Resurrectionem excipit *judicium extremum*, ad quod Ju-
dex Christus veniet in nubibus, quem comitabuntur omnes An-
geli & Archangeli: Thronus ei ponitur, & millies millena millia
congregantur, libri aperiuntur, judiciumq; peragitur. *Judicium*
quidam dictum esse volunt à *jure dicendo*, quia judicis partes re-
quirunt secundum legis & juris praescripta sententiam ferre.
Extremum vocatur respectu particularium, quae in hoc seculo
Deus quandoq; exercet. Hebraeis dicitur **יְשׁוּעָה לְיָמֵינוּ**
יְשׁוּעָה לְיָמֵינוּ. Vocatur *judicium* κατ' ἐξοχήν Ps. IX. 8. Eccl. XII. 14. 2 Pet.
II. 9. c. III. 7. cum additione *extremum*, quia ultimum erit, quod
in novissimo die exercebitur, qui dies censorius vocatur *ἡμέρα*
κρίσεως Matth. X. 15 c. XII. 35. Targum Chaldaicum in Ps I. vocat
eum **יְשׁוּעָה לְיָמֵינוּ** *diem judicii magni*, quod Apostolus
Judas invertit vocans *κρίσιν μεγάλης ἡμέρας* vers. 6 Hic est dies,
cui nullus alius est similis Jer. XXX. 7. respectu impiorum à Paulo
vocatur *ἡμέρα ὀργῆς* 1 Thess. I. 8. in genere *ἡμέρα ἀποκαλύψεως*,
qui occulta cordium, dicta, factaq; revelat 1 Cor. IV. 5. Apoc. XX. 12.
ἡμέρα δικαιοκρίσεως, ἑπισκοπῆς, παρυσίας τῆς χεῖρ Matth. XXIV.
3. 27. 37. 39. 1 Thess. II. 19. 1 Petr. III. 4. veluti primus ejus adven-
tus *παρυσία* vocatur 2 Pet. I. 16. Ne autem in alienum sensum
haec rapiamus, quasi nobis minimè esset praesens in his terris
(quod tamen sanctissimè promisit Matt. XVIII. 20 c. XXVIII. 19.)
damnavit hunc errorem nondum natum Paulus, & vocat eum *ἑπι-*
φάνειαν, 1 Tim. VI. 6. 2 Tim. IV. 1. *ἑπιφάνειαν τῆς παρυσίας* 2 Thess.
II. 8. *ἀποκάλυψιν* 1 Cor. I. 7. 2 Thess. I. 7. 1 Pet. I. 7. 23. Visibilem
suam praesentiam ibi omnibus manifestabit, quo sensu & *φανέρω-*
σις dicitur, Col. III. 4. 1 Pet. V. 4. 1 Joh. II. 28. c. III. 2. ad eum mo-
dum, quo primus quoq; ejus adventus per *φανέρωσιν* describitur
1 Tim. III. 16. 1 Pet. I. 20. Septem aliàs modis in hoc mundo judici-
um à Deo peragi observârunt Theologi (1) causam cognoscendo
Gen.

pe per duo millia mundum stetit *תתי* per duo millia *תורה*, & per duo demum millia perstiturum fore *משיח* cum Messia; Et mirari vix satis possum, quot hæc sententia propugnatores atque defensores habuerit, quantumq; illam exornare variisq; typis & similitudinibus illustrare hæctenus laboraverint: Sex dies, quibus mundus est creatus huc accommodant, veluti sex diebus Deus mundum condidit; sic sex annorum millibus mundus persistet, mille enim anni coram Deo reputantur ut unus dies *Pf. XC. 4. 2 Pet. III. 18.* septimo autem die Deum quievisse; sic septimo millenario Sabbatum æternum initium suum sine fine capturum esse. Ulterius progrediuntur: Veluti sex Patriarchæ à mundo condito mortui sunt, septimus autem, nempe Henochus, non mortuus est, sed vivus in cœlum translatus, quod etiam de Eliâ dicitur, qui septimus est ab Adamo ætate, ut Henoch generatione; sic per sex mille annos homines consuetâ naturæ lege morientur, septimo autem judicii in occursum rapiuntur. Porrò: Veluti Noachus annum egit sexcentimum, cum cataclysmus irrueret; sic mundus annum agens millesimum sextum igne conflagrabit. Ager Judaicus sex annis colebatur, septimo incultus relinquebatur; sic mundus, qui agro comparatur *Matth. XIII. 38.* sex mille annis incoletur, quibus peractis desinent sementis & messis *Gen. VIII. 22.* Huc trahunt quoque septuplicem circuitum circa urbem Hierichunta, cujus mœnia tubarum clangore conciderunt; sic septimo eoq; ultimo mundi die externa hujus mundi compages clangore ultimæ tubæ & *κελεύματα* corruet, & nos urbem palmarum & olivarum, pacisq; æternæ, *οἴκῳ ἀχειροποίητος*, civitatemq; cœlestem, in quâ nostrum *πολίτευμα*, occupabimus. Quemadmodum Salomon per sex gradus incomparabile suum conscendit solium duodecim figuris leoninis conspicuum; sic Christus, qui major Salomone, post sex annorum millia thronum suum judicarium conscendet, qui est gigas geminæ substantiæ, & leo de tribu Judæ, cujus duas naturas, per duas istas leoninas figuras in latere solii Salomone delineare voluerunt, atq; duodecim istos leones de duodecim Apostolis interpretati sunt, qui tanquam Assessores sedentes super thronos judicabunt duodecim tribus Israël, Sicuti post sex dies Christus transfiguratus esse le-

F

gitur

gitor Matth. XVII. 1. Marc. IX. 2. Sic nos post sex mundi dies, qui conformamur corpori Christi, transfigurandos esse in futurâ gloriâ. Et quousq; non progrediuntur: **N** millenarii indicem sexies occurrere in primo S. Codicis versiculo, & sexies in ultimo ejusdem versiculo in **וְיָמֵי הַבְּרִי** observârunt curiosi Scripturarum lectores, ex quo idem astruere conantur. Et non multum deest, quin etiam sex hydrias in nuptiis Canâ-Galilæis positas huc trahant, & aquam miseriæ quodammodo indicem, & lacrymarum mensuram ad animam usque exsurgentem in vinum lætitiæ convertant, illudq; in nuptiis agni depromant. Ingeniosè satis, si ita religiosè. De illis, qui millesimum, secundum & sexagesimum annum post Christum natum ultimum posuerunt videri potest Aventin. lib. 1. anal. Bojor. De his, qui ex Daniele ultimum tempus colligere voluerunt, consuli potest Luther. in præfat. sup. Daniel. Neq; hîc silentio prætereundum est exemplum Pastoris cujusdam Ecclesiæ in Lochovv sub ditione Sereniss. Electoris Saxon. Viri aliâs non indocti & insignis Arithmetici, cui nomen erat Michaël Stifelius: Hic ex characteribus Romanis in hoc dicto Biblico contentis: **IesVs NazarenVs rex IVDæorVM** annum 1532. item: **VIDebVnt, In qVeM transIXerVnt**: annum præcisè superioris seculi trigesimum tertium elicere conatus est, vid. Bucholzer. in chronol. ad ann. 1533. inque tantam prolapsus est dementiam, ut se septimum **ἑπταλῦτος** Johanneæ Angelum vocaverit, qui novissimum diem antegredi debeat. Librum quoque scripsit, ut eò luculentiùs de ejus mente constaret, conceptamq; erroneam suam opinionem duobus & viginti articulis comprehendit, atq; audacter nimis, sed minus feliciter terminum huic mundo posuit annum jam dictum 1533. mens. X. diem Lucæ Evangelistæ, circa horam octavam, quam prædictionem auditores ejus rustici tanti fecerunt, ut hoc anno nec ararent, nec sementem facerent, sed potiùs genio indulgerent, suaq; per computationes absumerent, ne quid post se relinquerent. vid. & Luther. comment. in Genes. cap. 32. Fuerunt qui annum 1539. ultimum fore existimaverunt, & circumcursitârunt furibundorum more clamantes:

Dies Domini, dies Domini, annunciamus vobis diem Dominicam.


Nolo

Nolo huc vulgares de anno 1588. versiculos, qui tam in Romanâ quàm in vernaculâ linguâ prodierunt, transcribere, quia in omnium ferè ore feruntur, & aliàs tribuuntur Johanni Regiomontano Mathematico. Circa finem elapsi seculi scriptum quoddam prodiiit, sed sub ficto nomine, in quo dies 3. mens. April. anni 1599. iudicio extremo denominatus est. Notissima quoque est eorum conjectura, qui ex voce JUDICIUM annum seculi hujus decimum tertium educere voluerunt, quia exactè characteres Romani illius anni in hoc vocabulo continentur. Alii alio modo processere, nimirum, veluti ann. 40. post primum Pascha urbs Hiericho everfa est, & ann. 40. post Pascha Christi novum urbs Hierosoly-ma devastata est; sic ann. 40. post Calendarium Gregorianum an. 1581. editum (quo iterum alius terminus Paschalis positus est) interibit totus mundus. Nonnulli ex Christi verbis Matt. XXIV. 37. Luc. XVII. 26. qui ait: *Sicut erat in diebus Noe, ita quoque eris in adventu Filii hominis*; mundi finem colligere voluerunt procedendo hoc modo: Quemadmodum anni 1656. intercesserunt à mundo condito ad diluvium; Ita totidem quoque anni effluent à nato Christo usque ad finem mundi, de quibus vid. Chytr. comment. cap. 6. Gen. quorum sententiæ subscribit quoq; Nicolaus Cusanus, (à Cusa vico in diœcesi Trevirensi non procul à patriâ meâ sito ita dictus) Theologus, elogio Trithemii, sui temporis facilè princeps, Episcopus Brixienfis civitatis ad fines Tridentinos sitæ in tractu comitatûs Tyrolensis vid. Dn. D. Quenstedt. in Dialog. de patr. Illustr. Viror. pag. 147. Verùm loqui Christum non de annorum serie, sed de vitæ morumq; conformitate ipsæ textûs circumstantiæ clarissimè indicant. Imò quod magis fortasse miraberis, si vera sunt, quæ narrant Jobus Fintzelius & Casparus Goldwurm in catalogo prodigiorum, apparuisse in Transylvaniâ cœlo sudo has literarum figuras: INRI. M. D. LVI. EIN ENDE DIESES REICHS. Ex quibus Mathematicus quidam ita collegit: Veluti Deus $\mu\alpha\kappa\rho\theta\upsilon\mu$ primo mundo ad pœnitentiam dedit centum & viginti annos, viginti autem abbreviavit, quod patet diligenti Bibliorum lectori ex Gen. V. 32. collato cum cap. VII. 6. Sic Deum præmonere nos voluisse, & dare ad pœnitentiam centum & vigin-

si annos, hisce verò detracturum esse annos viginti propter electos, iudicium E. certò (scil.) incidere debuisset in annum huius seculi sextum & quinquagesimum. Nondum credo memoriâ excidisse conjecturas Philippi Nicolai aliorumq; plurium de anno proximè elapso septuagesimo, & quoniam adhuc in recenti hærent memoriâ, nolo easdem repetere. Et ne huius temporis, in quo vivimus, obliviscamur, fuerunt teste Heerbrand. in compend. Theol. loc. de consummat. sec. quæst. 6. pag. 526. qui præsentem hunc 1675. cumq; vergentem nunc annum mundo finem impositurum fore affirmârunt, quod equidem an futurum sit, nos ignoramus, ille autem novit, qui omnia novit, perditissima esse tempora inficias ire non possumus, ac nescimus, quid serus vesper vehat, neq; gloriari possumus de crastino die. Fuerunt qui calculum ulterius extenderunt: *Vidi ego*, inquit Phil. Melancht. in explic. Evang. Dominic. II. Advent. *veterem prophetiam, quod annus 1680. sit mundi ultimus.* Inveni sunt, qui his octo adhuc annos superaddiderunt: **Andr. Osland.** unum adhuc addidit. Alii in seculum futurum, si quod sperandum est, illum extenderunt, imò in seculum decimum nonum; Quis autem dubitaret? plures in hisce conjecturis imposturas concurrere, quibus simpliciorum mentibus illuditur, uti prostat exemplum apud historiæ patriæ scriptorem Johann. Trithem. Abbat. Sponh. in Chronic. Sponheim. quamvis negandum non sit, omnes conjecturas temerè & morosè rejiciendas non esse, præprimis illas, quæ Ecclesiæ Reiq; publicæ statum concernunt, ut Joh. Hussi & Johann. Hiltenii Franciscan. Isennac. (cujus meminit Apologia A. C. de vot. Monast.) de Luthero. Weigeliani & Enthusiastæ superioribus temporibus raptus quosdam divinos cœlestesq; jactitare cœperunt, & notæ sunt procul dubio fabulæ M. Paul. Nagelii, Lips. Philosophi, iudicio D. Kromayeri, quantum ad mathemata attinet non contemnendi, scriptisq; plurimis celebris; somnia autem sua, ut eò feliciùs disseminaret & propagaret, sub prognosticis calendariorum involueris luci fecit publicæ, vid. ejus calendar. de ann. 1620. quibus nil stultiùs aut ineptius excogitari potest iudicio Magnif. Dn. D. Præs. tractat. de prophet. sect. I. §. XII. Sed nolo ulterius in otiosis hisce otiosorum hominum deliriis recensendis bonum otium perdere, & acquirere.

acquiesco potius in obfignatione S. Codicis, quã obex ponitur omnibus ejusmodi prophetiis humanisq; traditionibus, & subitaneus sponsi nostri adventus nobis promittitur, quem potius in omni spe atque silentio veroq; filiali timore expectemus, quã curiosè contra ejus mandatum tempus indagemus, temeraria magis est hæc temporum supputatio, quã ad salutem necessaria, atq; carnali fovendæ securitati non obscurè pabulum subministrat; igitur, quod Deus Angelos nescire voluit, id nos præpostero studio non rimemur, latet enim hic unus dies, ut observentur omnes: *Omniū* (verba sunt Augustin. lib. 18. de C. D. cap. 53) *hæc de re calculantium digitos resolvit ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora.* Interim quia ex Petro, i epist. IV. 7. & Jacob. cap. V. 8. novimus, diem hunc instare, & in propinquo esse, tempus illud, quod alii tribuunt curiosæ indagationi, nos impendamus piæ ad hunc diem præparationi.

XXV. Quando dies iste extremi judicii dies redemptionis dicitur, in memoriam nobis revocatur historia liberationis Israëlitarum è domo servitutis Ægyptiacâ, ex quâ educti sunt pluribus præcedentibus signis; Sic nostram liberationem inq; terram sanctam introductionem præcessura fore plurima signa breviter monstrabimus. Quemadmodum illorum liberatio dudum prædicta extat Gen. XV. 14. 16. sic nostra variis in S. codice promissionibus confirmata legitur. Et veluti per omnes ejusmodi plagas induratus Pharaon cum Ægyptiis non permoveri poterat, quamvis oculis suis aspexerit aquas in sanguinem versas, ranas, pediculos, culices & muscas, pestem, ulcera, grandines, locustas, tenebras, mortemq; primogenitorum; Sic tempore nostræ liberationis, teste Scripturâ S. venient illufores, qui plagas ejusmodi non dicam minimè eurant, sed etiam rident, quamvis videant terram sanguine occiforum rubere, & populos eandem ut aquarum multitudinem opprimere & operire. Jer. XLVII. 2. Apoc. IX. 3. Loquaces ranas mysticè descriptas vid. Apoc. XVI. 13. 14. per quas hæreticos intelligit Luther. in gloss. interlin. Vermes & insecta varia Deus quandoq; in hujus vel illius regionis perniciem immittit, & dantur etiam vermes spirituales conscientiam mordentes & corrup-

pentes arbores justitiæ Ps. I. 4. Es. LXI. 3. Varia morborum genera
 toto experimur die, & quod magis dolendum est, plurimi in pec-
 catis moriuntur, cauteriisq; conscientiam sauciant 1 Tim. IV. 2.
 grandinem depictam vid. Apoc. XVI. 21. per quam intelliguntur
 inundationes, aliæq; nocuæ tempestates. Nonne etiam jamdum
 omnis generis hæretici tanquam locustæ ex orci faucibus prod-
 eunt, & densissimo errorum fumo, spississimisq; corruptelarum
 tenebris veram doctrinam obnubilant, atque veneno suo corrup-
 punt, quos insequuntur tenebræ maximè spirituales, quamvis na-
 turales vel potius supernaturales etiam non deerunt, sol enim ob-
 scurabitur, Luna splendorem amittet, & stellæ decident. Per
 mortem primogenitorum non absurdum erit intelligere omnes
 persecutiones, quarum initium fecerunt maledicti homines in
 ipso capite Christo, qui primogenitus ex mortuis factus est Coll.
 I. 18. primogenitus universæ creaturæ vers. 15, atque in Aposto-
 lis, tanquam Spiritus primitiis, de quibus signis ulterius vid. Ger-
 hard. Harmon. Evangel. Plurima equidem signa præcesserunt
 Hierosolymæ excidium, quæ Christus ad finale quoque totius
 mundi excidium applicat, ut sunt hæresium multiplicatio Matt.
 XXIV. 5. 11, 23, 24. conf. Marc. XIII. 6, 21, 22. Luc. XXI. 8, bella per to-
 tum orbem seditiones & factiones Matt. XXIV. 6, 7, 8, & horribilis
 piorum persecutio vers. 9. hinc aliqui solis obscuracionem, Lunæ
 in splendore defectum, & stellarum lapsum ἀληγοεικῶς, sed sine
 omni urgente necessitate, interpretari malunt; An verò integra il-
 larum corpora de cælo delapsura sunt, an solùm splendorem
 amissura, quæsitum est? Utrumq; videtur probabile, dicuntur e-
 nim πρὸς ἑνὴν, ἔσονται ἐκπίπτοντες, Syr.  non autem ad
 eum modum, quo meteora illa ignita stellæ cadentes dicta in
 aere accensa decidunt: Virtutes quoque cælorum movebuntur
 Matt. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. Luc. XXI. 26. σαλευθήσονται, conqua-
 tientur, conquassabuntur, & concutiendo periclitabuntur, quæ
 vox usurpatur quoque de calamo conquassatâ Matt. XI. 7. de
 mensurâ concussâ Luc. VI. 38. de fundamentis ædium motis Luc.
 VI. 48. Actor. IV. 21. cap. XVI. 26. & metaphoricè de rerum instabi-
 lium

lium mutatione & abolitione Heb. XII. 26. 27. deq; animi contur-
batione Actoꝝ. II. 25. 2. Theſſ. II. 2. Omnes adeò creaturæ circa nos
infra nos, & ſupra nos talia patientur, uſque dum propter refri-
geſcentem in hominum cordibus charitatem mundus flammis
delebitur, veluti antediluvianorum libidinis flammæ aquâ extin-
ctæ ſunt. Quidam finalem mundi interitum excidium Romæ
& quidem ann. 1660. præceſſurum fore augurati ſunt, & proſtat
ejuſmodi tractatus, cujuſ inſcriptio: *Excidium Romæ finale*. Qui
multis ita perplacuit, ut poſt plenariam Papæ extirpationem re-
gnum ejus Regi Chriſtianiſſimo adjudicaverint. Gregorius Gre-
gorii Francuſ S. S. Theol. D. & PP. in vicinâ Francofurt. ad Via-
drum Academiâ ſigna extremi diei eſſe judicat ſolis ad nos ap-
propinquationem, ejuſdem maculas ſtupendas atque ſqualores,
additq; ſpicam virginis majorem olim fuiſſe, quàm hodie, & co-
metam illum inſignem 1618. prodromum quoq; fuiſſe extremi ju-
dicii, atq; rubore ſuo nobis mundi per ignem conflagrationem in
memoriam revocâſſe. Accuratè quidem, quod fatendum eſt,
procedit, & in prioris ſententiæ confirmationem ad nobiliſſimos
quoſq; Mathematicos provocat: Verùm ſolem unò eoq; continuo
ſuo naturali curſu moveri neminem latere exiſtimo, & ſtatuunt
aliqui, ſi corpus ſolare ad minimum etiam ſpatium extra ſuum
motum ad nos proveheretur, totum orbem collapsurum fore.
Maculæ iſtæ & faculæ (ſi quæ dantur) an hæreant in ſuperficie
corporis ſolaris, vel circa illud moveantur, vel ſint fuligines
quædam ex fornacè globi ſolaris ebullientes, & poſtea tan-
quam faculæ accenſæ circa ſolem agitatae? de eo adhuc diſqui-
runt Mathematici: Primus, ut ipſe de ſe fatetur, eas obſervâſſe
dicitur Chriſtophoruſ Scheineruſ è Soc. Jeſ. Prof. Matheſ. in Aca-
dem. Ingolſtad. anno quidem hujus ſæculi XI. Ex quo tamen
non ſequitur, eas antiquitùs non fuiſſe, cum antiquiores carue-
rint tubis Opticis, inſtrumentisq; ejuſmodi Mathematicis, quibus
curioſa hodie ingenia ſuam commendant induſtriam: imò non
abſurdum videretur ſtatuerè maculas hæc poſſe eſſe naturales,
quia ſol per tot effluvia ſtetit, & maculas hæc ſine omni tamen vi-
tio contrahere potuit. Eclipſes proſuſ ſupernaturales judicium
præ

præcessuras fore statuit B. Noster Lutherus, quarum causas ne doctissimi Mathematici investigare possunt, qualis illa fuit, quæ tempore passionis Christi accidit, de quâ Mathematicus quidam dixit: *Aut mundus interit, aut Dominus nature patitur.* Refertur huc quoque AntiChristi revelatio 2 Thess. II. 3. 4. 8. quem Dominus interficiet Spiritu oris sui & gladio *δυσόμω* Apoc. I. 16. eoq; penetrantissimo Heb. IV. 12. Et insignis Monarchiæ quartæ labefactatio, comparatè loquendo ad statum pristinum, *adeò enim vires defecerunt imperii Romani, ut solo tantum nomine constaret,* verba sunt Naucleri apud Wolff. tom. I. lection. memorabil. pag. 63. & Ott. Frising. lib. 5. cap. 8. ultimum hoc tempus *effœminatum* vocat Werner. in fascicul. tempor. *quod à pristinâ virilitate multum defecit.* Inter quos tamen tumultus Evangelium prædicabitur universæ terræ Matt XXIV. 14. Marc. XIII. 10. ad eum modum, quo Apostolorum sonus exiisse dicitur in omnem terram Rom. X. 18.

XXVI. Universalis hæc Evangelii prædicatio favere videtur quodammodo quæstioni maximè aliàs controversæ, *an nimirum universalis vel insignis adhuc Judæorum conversio ante judicium ævæ sit expectanda?* Affirmativam hujus quæstionis partem defendunt quidam B. PP. & plurima Ecclesiæ nostræ lumina B. Meisner. lib. IV. de legib. Sect. XVIII. & XX. pag. m. 340. seqq. & 374. Nic. Hunn. epit. credend. cap. XXX. de extr. judic. §. 928. pag. 617. Hutter. LL. Theol. Maj. Balduin. in h. l. Mentzer. in analys. h. l. quam invenies tom. I. dispp. Giefs. Winckelman. in h. l. Hafrenreffer. in templ. Ezech. aliq; quam plurimi, quos omnes jam recensere non vacat, præprimis hanc novissimè sententiam defendendam suscepit ex Calvinianis Joh. Hoornbeeck in prolegom. de convertendis & convincendis Judæis. Plurimi autem sunt etiam non minoris nominis Theologi, qui negativam tuentur, quos inter primum locum occupat B. Noster Lutherus, cujus emphatica verba, quæ habentur tom. VIII. Jen. Germ fol. 109. jam adscribam, cui jungendus est Phil. Melanchthon, D. Bugenhagius, D. Osiander, Paraphrastæ Bibl. Vinariens. D. Joh. Pappus, D. Cramerus, D. Hülsemannus, D. Wellerus, Joh. Cluver. Döling. & D. Danhavverus, quos omnes & eorum verba vid. apud Magnif. Dn. D. Calo-

D. Calovium in Bibl. illustr. annot. anti-Grot. in h. l. Verba Lu-
theri sunt ista: Ein Jud/inquit, oder Jüdisch Herz ist so Stock-
Stein- Eisen- Teuffel hart / daß es mit keiner Weise zu be-
wegen ist: Wann Mose käme mit allen Propheten/und thä-
ten alle Wunderwerke für ihren Augen / daß sie solten ihren
harten Sinn lassen / wie Christus und die Apostel für ihnen
gethan haben / so wäre es doch umbsonst. Wann sie auch so
greulich gestrafft würden / daß die Gassen voll Bluts rönnen/
daß man ihre Todten nicht mit hundert tausenden / sondern
mit zehen hundert tausenden rechnen und zehlen müste / wie zu
Jerusalem unter Vespasiano, und zu Bictor unter Adriano ge-
schehen ist: Dennoch müssen sie recht haben/ wann sie auch über
diese 1500. Jahr noch 1500. Jahr solten im Elend seyn / den-
noch muß Gott ein Lügner/ sie aber warhafftig seyn. Sum-
ma/ es sind junge Teuffel zur Hölle verdampft / ist aber noch
etwa was menschlichs an ihnen / dem mag solch Schreiben
zu nutz und gut kommen / vom ganken Hauffen mag hoffen
wer da wil/ ich hab da keine Hoffnung/ weiß auch davon kei-
ne Schrift: Können wir doch unsere Christen/ den grossen
Hauffen nicht bekehren / müssen uns am kleinen Häufflein ge-
nügen lassen/ wie viel weniger ist's möglich / diese Teuffelskin-
der alle zu bekehren: Dann daß etliche aus der Epistel an die
Römer solchen Bahn schöpffen / als solten alle Juden bekeh-
ret werden am Ende der Welt/ ist nichts/ S. Paulus meynet
gar viel ein anders. conf. gravissima ejus dehortatio à familiari
nimis cum illis conversatione ibid. pag. 95. Placet ergò jam exerci-
tii causâ negativa: *Pregnantiore certè sunt rationes*, ait Magnif.
Dn.D. Calovius in l. c. *quæ pro hac sententiâ adducuntur & adduci
possunt*, triplici enim eosdem maledictioni obnoxios esse inveni-
mus, generali Deut. XXVII. 15. 16. 17. 18. à Christo per os Davidis in-
timate Ps. LXIX. 24. Ps. CLX. 17. propriâ culpâ contractæ Matt. xxvii.
25. adde, quòd Paulus Anti-Christi revelationem ultimum ante
mundi

mundi finem opus maxime memorabile constituat 2 Theff. II. 8.
Hæreses multiplicari potius quam minui quotidie experimur
deplorantes Ecclesiæ vulnera, & Christus ad iudicium venturus
vix fidem se reperturum fore asserit Luc. XVIII. 8. atque dies hos
propter electos abbreviandos esse arbitratur. Aspernati sunt
impii hi contemptores nuptias regias, cœnamq; magnam, atque
seipso hoc convivio indignos fecerunt, hinc ut filii regni ejici-
antur foras, venientes autem ab oriente & occidente cum Abra-
hamo, Isaaco & Jacobo discumbent. Ablatum esse eorum sceptrum
videntes videre nolunt, Messiam promissum & præsentem rejecerunt,
atque solam illam eamq; regiam ad salutem viam & januam
Christum reliquerunt, & devia sectati sunt, festanturq; adhuc ho-
die proscindendo Christum horrendis blasphemis, (de quibus
vid. D. Helvic. tom. IV. dispp. Giesl. disp. XI. pag. 256 seqq.) vo-
cantes eum יהוה, & ad mentionem Ejus factam ter in terram ex-
puunt, subjiciuntq; *Deleatur nomen ejus*: atq; liberos suos à pri-
mis cunabulis ad maledicendum Christo ac virgini Deiparæ in-
formant, veram ad salutem viam monstraturos audire recusant,
& si quis ex verbo Dei eorum errores refellit, aures obturant.
Nec est, quod dicas affirmativam sententiam argumentum esse
convertendi illos & convincendi, quia frustra quæris & accersis
Medicum ad illum, qui non dicam morbum sentire se nullum
fatetur, sed ipsum etiam Medicum rejicit, *monstrato enim quid sit
morbi, curatio restat*: illi autem morbum suum spirituales non
agnoscunt, verum media ad sanitatem eorum spectantia respu-
unt, ut adeò curatio nullum habere locum possit: Nemo facile
Medico imputabit ægroti mortem, si æger omnia ad valetudinem
spectantia media applicare recusavit: Quis soli illuminationem
denegabit, quia illum, qui temerè manus objicit, neq; valvas mu-
sei removet, non illuminat: Mirum itaque non est, quod illi tan-
quam noctuæ ad hunc justitiæ solem Christum, verbiq; divini lu-
cem cæcutiant, cum ipsi manus ut velum Mosaicum oculis obji-
ciant, ut adeò illius radii pectus illorum penetrare & illuminare
neutiquam possint, nisi extraordinariâ & irresistibili planè gratiâ
Deum illos conversurum fore statuere velis, Palmarius in hæc

CONTRO-

controversiâ locus, quem urgent affirmativæ sententiæ Fautores, habetur Rom. XI. 25. 26. qui etiam illorum sententiæ multum favere videtur, hinc etiam ab Hugone Grotio inter loca Paulina *δυσ- νόητα* (sed temerè judicio D. Calovii) relatus est: Verùm hunc locum aliud velle jam ex Luthero notavimus, & *locus ille*, ait D. Pappus Eximius Argentoratensium Theologus, in comment. ad Hof. III. 4. *modò penitus introspectatur, non modò non confirmat hanc opinionem, pro quâ adducitur, sed planè etiam evertit*: Paulus enim non salvationem, sed excœcationem eorum mysterium vocat, quòd sc. is, qui Dei peculium fuit, populus rejiciendus sit, illud colligimus ex textûs circumstantiis, nam dehortatione à superbiâ non esset opus, si prior sententia locum haberet, adhortari potiùs debuisset illos ad lætitiâ in spiritu, quia salvandi forent. Particula etiam *donec* perpetuitatem quandoq; notat indeterminatam, ut Matt. I. ult. quod Luther. in gloss. interlin. explicat & illustrat ex Gen. VIII. 7. conf. Matt. V. 26. imò dictum illud: *Donec plenitudo gentium intraverit*: invertimus potiùs, quia durat usque ad novissimum diem Luc XXI. 24. 25. Addunt adhuc plerique intelligi hîc non Israelem secundum carnem, sed secundum spiritum ad eum modum, quo verus fuit Israelita Nathanael, quod non obscure Paulus ipse in hâc epistolâ aliquoties innuit, dum inter Judæum occultè & manifestè talem distinguit cap. II. 28. 29. & non omnes, qui sunt ex Israel, pro Israelitis habet cap. IX. 6. ut adeò sensus sit, omnem Israelem ex Judæis & gentibus collectum salvum fieri, accedit & hoc, quòd ipsi, qui affirmativam tuentur, omnes secundum carnem Israelitas salvandos esse nequaquam statuunt, hîc enim inter Græcos & Judæos nullum est discrimen, nulla est apud Deum *πρωτοπλησία*, sed qui timet eum, & rectè facit, is illi acceptus est: Et disputat hîc Paulus contra absolutum electionis decretum, fatalemq; reprobrationem, quam longissimè à nobis abesse dicimus, & ad Calvinianos tanquam hujus doctrinæ defensores devolvimus. Illi quoque hîc à veritatis scopo aberrare videntur, qui conversionem hanc Judæorum futuram fore statuunt per Henochi & Eliæ prædicationem; Verùm venisse illum Eliam, de quo vaticinia quædam loquuntur, nempe Johan-

nem Baptistam clarè nos edocuit Christus Matt. XVII. 12. & juramento confirmavit, Apostolos non perambulatu-
ros fore omnes civitates Israeliticas, quin jam venerit Filius hominis, quæ verba in gloss. interlin. ita explicat Noster Lutherus : Ich weiß wol/
daß sie euch verfolgen werden. Dann dis Volck wird das Evange-
lium verfolgen/und nicht bekehret werden/biß zum Ende der Welt.
Frustra in memoriam nobis revocas foedus Dei Altissimi cum Pa-
triarchis initum, atque tot sanctissimas illis factas promissiones,
quia promissiones illæ factæ sunt Judæis sub certâ conditione,
quamdiu nimirum in viis Domini ambulaverint, atque voci divi-
næ obsecundaverint, Dictum illud Matth. xxiii. 38. *Non videbitis
me posthac donec dixeritis: Benedictus, qui venit in nomine Domini,*
intelligi posset, vel de ingressu Christi in urbem Hierosolymam,
quia illa ipsa verba ibi repetuntur cap. XXI. 9. vel, quod aliis ma-
gis probatur, de glorioso ejus adventu in extremo judicio, ubi no-
lentes volentes agnoscere cogentur, Christum verum esse totius
mundi Messiam, eiq; debitum honorem deferent, atque genu fle-
stent Phil. II. 10. seqq. Multos subinde converti ad veram fidem
negare non possumus, & de multorum conversione testatur O-
sland. cent. V. lib. I. cap. 24. cent. IV. lib. IV. cap. 4. & 5. pag. 244.
245. Cent. VII. lib. II. cap. 7. pag. 95. An verò ex profundissimâ
misericordiarum abyssu Deus multæ misericordiæ gratiâ extraor-
dinariâ Judæos conversurus sit, cum Origine in h. l. fatendum est
neminem scire, præter illum unum solum, qui omnia novit, &
unigenitum ejus, & cum B. D. Müllero magni nominis Theologo
& Minister. Hamburg. Senior. Venerand. *ὁ ὁμοῦ ἐν ἀγίοις* in præ-
fat. Judaism. dicendum : Den rechten eigentlichen Verstand wird
der Ausgang und die Erfüllung geben/ob der von dem ganzen Hauf-
fen des Jüdischen Volcks//oder nur von einer grossen Menge zu ver-
stehen sey : Nec nos βαρβαρίᾳ καὶ πλῆθει bonitatis divinæ con-
stringere volumus, nec possumus, sed potius, ut obcæcatas illorum
mentes ex immensâ suâ gratiâ illuminare, atque illos errantes de-
tracto velo in viam veritatis reducere velit, *ὁλοκαρδίως* cum B. Wel-
lero in h. l. precamur, & *tantum abest*, (verba sunt B. Brentii in h. l.)
ut hoc Dei beneficium invidemus Judæis, ut etiam optemus. Re-
peri-

periuntur nonnulli, qui præter spirituale hoc beneficium corporale adhuc aliquod Judæis pollicentur, nempe, ex miseriâ in terram sanctam Canaan introductionem, ex quâ ob repulsam Christo datam expulsi & dispersi miserè hinc inde vagantur, quod momentum illis sit cogitandi, nullum hîc regnum terrenum, & nullam in terram benedictam introductionem illis restare, mirè licèt tripudient in loco Levit. XXVI. quem, teste Gerharo, simiam auream vocant ob sequentem sequentis versiculi voculam initialem ηN , qui tamen parùm illos juvare videtur; adjungant licèt loca Deut. xxx. 3. 4. 5. Es. xi. 12. loquuntur enim illa cum exceptione obedientiæ & pœnitentiæ, quomodo autem veram agent pœnitentiam? cùm præcipuâ eâq; necessariâ atque essentiali pœnitentiæ parte nempe fidē destituantur, quamvis sub initium superioris seculi solennem pœnitentialem annum instituerint; nil quicquam tamen impetrârunt. Cessent igitur contra Dei Filium murmurare, quemadmodum noverunt murmurantes ejusmodi interfectos esse in deserto; ita etiam, ut ex tanto illorum numero vix unus Josua & Calebis terram sanctam possederit, & ad saniolem frugem redeant; decepti tot Pseüdo-Messis (quos recensere longum foret) agnoscant tandem nullam illis superesse in Canaan reductionem, & veram eamq; seriam pœnitentiam agant, ne uti in his terris, ita in cœlesti quoq; patriâ veluti extorres exulent & ejiciantur.

XXVII. Antequam ab hoc loco discedamus, paucis adhuc de loco differendum erit: Locum aliqui designant vallem Josaphat, illudq; probare conantur ex prophetiâ Joelis cap. III. 2. 14. Quæ sententia tam altas apud quosdam egit radices, ut in vulgarem loquendi modum abierit: *Citare aliquem in vallem Josaphat, & idem fit, ac appellare ad supremum incorruptumq; judicem Christum: Quid verò hâc de re sit sentiendum, an Christo judici non injurium sit ita temerè provocare ad exactissimum ejus tribunal? An etiam non repugnet charitati Christianæ? illud jam enarrare instituti mei ratio non permittit, consuli hâc de re potest disputatio non inelegans, quæ sub auspiciis Joh. Ernest. Gerhardi Jenæ 1660. prodiit, ubi hoc argumentum prolixè pertractatur: Exempla ejus-*

11
modi reperiet avidus lector apud Lambert. Aschafnaburg. in annal.
histor. Eccles. Sunt qui montem olivarum iudicii locum fore au-
tumant. Dn. D. Calixtus statuit Christum ad hanc hemisphæricam
mundi partem, in quâ ipse natus, peregrinatus & mortuus, in quâ
homo creatus, & major pars hominum vixit, rediturum fore in su-
premâ aeris regione, ut ab omnibus conspiciatur, sine dubio deor-
sum Palæstinam, & ipsam Hierosolymam versus. Verùm enim
verò an illa vallis Josaphat, quàm feliciùs fingunt, quàm probant,
tam ampla sit, ut omnibus omninò gentibus sufficiat, de eo valdè
dubito, ut adeò frustra sit Cornel. à Lap. comment. ad 1 Thess. IV.
pag. 692. qui tanquam loci imperator, *der Quartiermeister* / ut à
Danhaüero appellatur Hodof. phæn. VIII. pag. 810. omnes temerè
mansuras in eadem definit. Illa vallis à Rege Josaphat ita deno-
minata est, in quâ triumphavit, & dicitur aliàs quoque **עמק**
ברכה vallis benedictionis 2 Chron. XX, 26. Imò non absurdum
videretur cum pluribus interpretibus vallem Josaphat in hâc Joe-
lis prophetiâ sumere appellativè per antonomasiam, conf. Glas-
sius Phil. R. pag. m. 1016, ut adeò nomen sit compositum ex
יהור & **שפט**, veluti **יהונתן** ex **יהוה** & **נתן** ex **יהוה**
& **נתן**, & explicandum sit **עמק יהושפט**, vallis iudicii, quæ expli-
catio textui propiùs videtur accedere, & hæc ipsa radix quoque
in eodem versu occurrit, quamvis alii malint hanc prophetiam re-
ferre ad adventum Christi spiritualem per prædicationem Eyange-
lii, vel **μυστῶς** de quocunque loco, quem Deus ad iudicium ele-
gerit, quisquis ille fuerit. Quod rediturus sit Christus in montem
olivarum videtur colligi posse ex Angelorum sermonibus Actor.
I. ii. sed notandum, quòd Angeli loquantur non de **τόπω**, sed de
τέρω adventus futuri. D. Calixti sententiam hîc in medio relin-
quo, & potiùs existimo, veluti tempus iudicii extremi exactum &
determinatum soli Deo notum; ita ejus quoque locum in ab-
sconditis sapientiæ & scientiæ divinæ thesauris latere: Nobis suf-
ficiat, quòd rediturus sit in nubibus cœli, & nos in occursum illi
simus rapiendi. Moram, quamdiu duraturum sit hoc iudicium,
an per 5000. annos, ut Turcæ ineptiunt, jam non moramur, sed ad
locum subsequenter progredimur.

XXVIII. Quo-

XXVIII. Quoniam post peractum iudicium mundus nullius
 amplius est usus, ideo dissolvetur & interibit. Sicuti creatio
 hujus universi habetur primo in S. codice capite; Sic ejus abolitio
 in duobus ultimis Scripturæ S. capitibus comprehenditur, ut le-
 gentes Scripturam cogitemus, cuncta hæc ex nihilo divinâ virtute
 condita esse, iterumq; eâdem virtute à primo & novissimo, qui
 initium est & finis, destruenda esse. Dicitur aliàs *consummatio se-*
culi, quia perficiet & consummabit omnia, quæ ad hoc seculum
 spectant: Per mundum vel seculum hoc loco intelligitur omne id,
 (missis jam aliis famosioribus significationibus) quicquid contine-
 tur in hæc rerum universitate præter Deum, Angelos & homines.
 Malunt quidem quidam Theologorum ἐποχὴν potius eligere,
 quàm certi quid de *seculi consummatione* statuere, quia pro utraq;
 parte tam pro mundi quoad substantiam abolitione, quàm nudâ
 qualitatum alteratione rationes satis validæ militare videntur, ve-
 rum quia magis emphaticis verbis describitur sententia illa, quæ
 statuit seculi consummationem quoad substantiam, ideo defen-
 dunt eandem ut probabiliosem; non tamen præcisè ut articulum
 fidei, probantq; generaliter mundi finem ex Gen. VIII. 22. Deut. XI.
 21. Luc. XXI. 33. & valde emphaticâ descriptione Ps. CII. 26.
Tu Domine (qui ante secula fuisti, & antequam montes fierent
 Ps. XC. 1.) *terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*
(tuum opus est cælum & terra, & præparasti illa omnipotenti tuâ
manu, quâ etiam destruere poteris) ipsi peribunt, (argumentatur
 Psalmista à majori ad minus, si cæli peribunt, qui longè præstan-
 tiores sunt ipsâ terrâ, multò magis terra peribit, cæli verò secun-
 dùm Jobum non mundi sunt coram Domino) *Tu autem permanes*
(ἀντιπερισσῶς insurgit Propheta, veluti Deus permanet secun-
dùm substantiam suam; ita vi oppositorum mundus secundùm sub-
stantiam interibit; ulterius progreditur) omnes sicut vestimentum
veterascent, & sicut indumentum mutabis eos (Simili quodam rem
 illustrat, veluti vestimentum inveteratum deponitur; sic mundus,
 qui post peractum iudicium nullius amplius est usus, destruitur)
tu autem ipse idem es, & anni tui non deficiunt (tu uti fuisti ab æ-
 terno, idem permanes, nec mutaris unquam, & anni tui ἀντιστοι-
 χοῦσιν)

ὡσαύτως loquendo, nempe anni æternitatis Ps. XC. 5. 2 Pet. III. 18. non deficiunt) quod idem dictum allegatur quoque Heb. I. 11. seqq. Esaias de mundi interitu ita vaticinatur cap. xxxiv. 4. *Tabescet omnis militia cælorum,* (קמנ est in Hebræo, es wird verschwinden: Lutherus es wird verfaulen) & *complicabuntur cæli sicut liber.* conf. Apoc. VI. 14. Quibus verbis respicitur sine dubio ad formam librorum apud Hebræos, qui non ut nostri ex multis paginis conglutinati compingebantur, sed ex unicâ eâq; continuâ paginâ constabant, ad eum fermè modum, quo mappæ geographicæ hodie convolutæ circumferuntur, quæ explicatione opus habebant, quod colligimus ex Luc. IV. 17. ubi Christus porrectum sibi librum dicitur ἀναῳξάς explicans, & vers. 20. post lectionem ἠύξας complicans, hinc illis liber quoque dicitur מנלה volumen à convolutione; Sic liber naturæ in primâ creatione dicitur extensus instar pellis membranaceæ eleganti emphasi latente in voce קיע & monstratâ nobis Ps. CIV. 2. Es. XL. 22. ut haberemus, quid meditemur, post peractum autem iudicium non opus erit hoc speculo, quia Deum ipsum videmus; *Sicut liber convolutus,* ait B.D. Danhauer. Hodof. phæn. XII. pag. 1279. *non amplius prostat ad lectionem; ita liber naturæ non amplius prostabit ad lectionem, ubi beati sine signo intuitivè vident Deum.* Ne autem simile ultra tertium comparationis extendas, quasi stellæ permansuræ sint, & cæli superiores stellati, quos excipiunt nonnulli, veluti in complicato libro literæ permanent, ideò addit statim Propheta: *Tabescet omnis exercitus cælorum, & defluent, sicut folium de ficu & vite decidit,* nam πρῶτον, ἔσονται ἐκώπλιοντες ἀσέρες,

יבא

supra ex locis parallelis annotavimus, & seipsum explicat Esaias cap. LI. 6. inquit: כעשן נמלה Cæli sicut fumus deficient, vel quæ Hebrææ vis vocis, ad salis modum conterentur. Matt. V. 18. dicitur: *donec transeat cælum* &c. ubi præprimis observanda emphasis vocis ἀπελθεῖν, quæ ita transire denotat, ut nullum prioris rei, quæ præcesit, vestigium appareat, sic hora dicitur ἀπελθεῖν Matt. XIV. 15. conf. Marc. XIV. 35. generationes hominum dicuntur

cunctur

euntur *παρέρχεσθαι* Matt. XXIV.34. Marc. XIII.30. Luc. XXI.32. ho-
mo prætergrediens Matt. VIII.28. Marc. VI.48. navis Act. XXI.8. &
tempus hujus vitæ dicuntur *παρελθεῖν* 1 Pet. IV.3. illa quoque
præterire dicuntur, quæ, cum semel præterierunt, nunquam re-
vertuntur, ut de undâ præterlapsâ, quæ revocari non potest, de
verbo dicto, quod retrahi non potest, & de horâ, quæ redire non
potest, noti sunt Poëtarum versiculi, cum primis verò elegans τῆ
παρελθεῖν significatio prostat Sap. V.9. seqq. ubi per aliquot versus
vanitas deliciarum mundi ostenditur per similia ab umbrâ fugien-
te, nuncio transcurrente, navi transeunte, ave alarum remigio aëra
secante, jactuq; sagittæ desumpta, quæ ita transeunt, quasi nun-
quam fuissent, nullum enim post se relinquunt præsentia vesti-
gium. Creatura gemit & anxie liberationem expectat Rom. VIII.
20. seqq. ubi per vocem *creatura* significatione generaliori hîc non
intelligitur omne id, quod Deus creavit, Sap. XIII.5. Marc. XIII.19.
nec specialiori, quâ denotantur omnis generis, sexûs & ordinis
homines Marc. XVI.15. Rom. I.20. neque intelliguntur Angeli, a-
nimæq; piæ, hæ enim omni vanitate superiores immortalitatem
aspirare opus non habent, quam possident, nec intelligitur crea-
tura damnata & Diabolica, nam illa potius fremit, & ad filiorum
Dei liberationem, extremiq; memoriam judicii tremit, quàm ge-
mit, neque pia, quod textûs circumstantiæ non admittunt, nam
congemiscenti creaturæ opponitur, non impia, quæ volens vani-
tati subest, non homines ante Christi in hunc mundum adventum
defuncti, hæc enim explicatio limbum redolet, qui eo tamen
tempore juxta ipsos secus sentientes evacuatus erat, neque anima
mundi, quam Comenius finxit, neque brutorum immortalitas,
ut volunt nonnulli, neque de Christo accipi hic locus potest, ut de-
sirat Socinus, quomodo enim ille liberationem à corruptione o-
ptaret? qui nunquam corruptionem vidit Ps. XVI.3. neque intelli-
gitur mundi quoad qualitates mutatio, sed quoad substantiam
abolitio, intelligimus enim per creaturam hoc in loco omnem
creaturam non intelligentem, veluti cœlum, lunam, solem, sidera,
terram, omniaq; terræ nascentia &c. quæ omnia anxie expe-
ctant, atque liberationem à servitute vanitatis quàm maxime de-

H

siderant:

dſierant: Dulcior eſt fonti ſm ephaſis : Per *ἀποκαταβολίαν* nota-
 tur ſolicita avidaq; expectatio cum magnâ animi anxietate, atq;
 intento ardentiq; deſiderio conjuncta, quam quibuſcunq; etiam
 geſtibus externis prodere quærit, exſerto quaſi & porrecto capi-
 te, ad quod procul dubio Salvator digitum intendit, quando nos
 quoque capita attollere jubet Luc. XXI. 28. Notat quoque oculos
 intendere in aliquam rem, & oculis fixis in ejus contemplatione
 hærerere, vel quæ Syriacæ vocis *ܐܘܢܘܢܐ* emphasi, è ſpe-
 culâ quaſi eminus conſpicere. Per *ἔνασμον* intelligitur ſumma
 cordis anxietas, quâ ex imo pectore & anguſto coarctatoq; ſpiritu
 crebra ducuntur ſuſpiria, cui *ἔνασμων* ad majorem exaggeratio-
 nem additur à Paulo verbum *συνωδίνειν*, quod parturitionem no-
 tat, cui in Scripturâ S. exquisitiſſimi quiq; dolores comparantur
 vid. Pf. XLVIII. 7. Ef. XIII 8. cap. LXVI. 7. Jer. xxx. 6. Matt. xxiv. 8.
 quam vocem Syrus quoque retinet, & de Paulo alibi uſurpat Gal.
 iv. 19. terra mater noſtra communis parturit *καὶ συνωδίνει*, ut nos è
 tumulis noſtris producat in die *παλιγγενεσίας*, quem avidè expe-
 ctat, ideoq; gemit, quod Chriſtus nobis oſtendit in parabolâ de
 muliere parturiente Joh. XVI. 21. quæ illâ horâ triftitiâ affici-
 tur. Loco noſtro præſenti non ineleganter Diätenberg. in mar-
 gine addidit: *es bearbeitet ſich*. Neq; omni emphasi caret quar-
 tâ vice vocis *κτίσεως* repetitio, quæ non incongruè ad quatuor
 elementorum numerum applicari poſſet, quæ ad hominis uſum
 creata ſæpius ab impiis hominibus in abuſum, imò in ipſius Crea-
 toris ignominiam rapiuntur, hinc liberationem ab hæc vanitatis
 fervitute expectant avidè. Quomodo autem liberantur? per ſui
 annihilationem, per ipſum ſui non eſſe, in quo graviffimam Dei
 iram adverſus peccata conſpicimus, quâ non ſolùm hominem
 peccantem, ſed & ipſam quandoq; creaturam, quâ homo in pec-
 cando abutitur, impunè abire nequaquam ſinit, ut proſtant nobis
 exempla in ſeductionis instrumento ſerpente, terrâ cui Deus pro-
 pter hominem peccantem maledixit, vitulo aureo, ſerpente æneo,
 in palatiis & urbibus cum incolis ſuis punitis: Sic videmus illos
 non ſolùm, qui crimen læſæ Majeſtatis commiſerunt, vel ſeditio-
 nes

nes motusq; contra Magistratum excitârunt, capite damnari, sed & domos ipsorum solo æquari: Hominem non solùm, qui nefando se cum bruto concubitu polluit, sed & pecudem, quamvis irrationalem, igni adjudicari videmus, & Deus justissimus Judex creaturis, quas in hominis usum creavit, in hominis quandoq; perniciem utitur, veluti per aquam delevit mundum primum, per ignem Sodomitæ, & terræ mandavit, ut seditiosam sectam deglutiret, ad eum modum, quo exercitus ad hujus vel illius regionis protectionem conservationemq; emissus in destructionem ejus operatur. Quid volunt sibi tot insolita portenta, atque tot sanguineæ pluvix: nisi quòd Creatoris ignominiam, sortemq; suam deplorent, hinc desiderium enascitur multò ardentius, quàm hominis onerati, & foeminae parturientis, quod Deus non potest non aliquando exaudire, qui aliàs corvorum pullos ad se clamantes audit, Ps. CXLVII. 9. catulosq; leonum rugientes saturat Ps. CIV. 21. mundum itaq; voti sui damnabit, quod ex desiderii scopo haud difficulter colligimus; *Homo ex. gr. maleficus, ait accuratiss. Dn. D. Danhauer. Hodos. phæn. XII. pag. 1473. ad supplicium damnatus, tametsi naturaliter vellet vivere, ordinato tamen appetitu non debet velle vivere in justitiæ laudem & sui confusionem; Pecus humano coitu pollutum, si ratione præditum esset, ultrò se in ignem daret: Ita omnis creatura ob peccati servitutem & communionem, utut naturali & pœsei appetat porrò esse, tamen in justitiæ divinæ gloriam præoptare deberet non esse.* Quas comparationes Chrysostomo opponit, qui ad h. l. comparatione utitur à nutrice, quæ alumni sui ad regiam sublimitatem eVecti gloriâ ex parte fruitur. Petrus 2 epist. III. 7. 11. vaticinatur *omnia elementa calore ignis dissolvenda esse, non certè elementari, quia ipsa elementa quoque calore liquefcent, & ille ignis etiam maria dicitur exsiccaturus, quod igni nostro culinari adversatur, adde, quòd noster agat per cinefactionem, ille verò per omnimodam annihilationem.* Dictum Apoc. VI. 13. 14. maluerunt alii mysticè explicare, ut Excell. Dn. D. Hœ Vir & Nobilitate generis, & eruditione Celeberrimus Sereniss. Elector. Saxon. à concionib. aulic. comment. pag. 464. Tempora dicuntur desitura Apoc. X. 16. quia dies novissimus erit dies ultimus, nec post

eum alius, sed mera æternitas: Ab omnipotentis conspectu dicitur fugisse cœlum & terra, adeò, ut nullus illis inventus sit locus Apoc. XX. ii. Argumentum etiam pro mundi abolitione peti potest exinde, quia Deus prædixit, quis autem tam perfrictæ frontis foret, ut contra infallibilem veritatem id negare auderet, quod infelici suo exitu probant antediluviani, Sodomitæ & Hierosolymitani. Et demum, quid opus domicilio hoc viatorio, cum ipse viator patriam cœlestem, καὶ πόλιν μέλυσαν occupavit: Die jetzige Welt / ait alicubi Lutherus, ist nur etne Vorbereitung / und Gerüste Gottes zu jener Welt / wann das Haus fertig / so reisset man das Gerüste ein: Quid opus Sole, ubi tot soles quot electi? quid tantillo lumine ad hosce radios? quid speculis ejusmodi θεωρημάτων opus? cum intuitivâ Dei visione à facie ad faciem in æternum fruimur.

XXIX. Inveni tamen sunt nonnulli, qui mundano præditi ingenio mundum nunquam interiturum fore statuerunt; Nolo jam immorari tricis quorundam Scholasticorum de mundi æternitate à parte ante, sed videbo saltem illos, qui æternum illum esse à parte post voluerunt, quamvis quod supra quoq; monui, rationes non desint, quæ parti adversæ favent, quare autem absque ullâ cogente necessitate ab ἐμφατικῶν descriptione discederemus, non video. Illusores illi (de quibus supra aliquoties) temerario sanè ausu affirmare non erubuerunt, mundum semper, adventum verò Christi ad judicium nullum fore, μορμολυκείον opinantes, quicquid de mundi interitu prædicaretur, sic colligendo: Q. per tot secula duravit absque omni mutatione, id semper erit: Mundus per tot secula duravit absq; omni mutatione, E. mundus semper erit: Verùm dudum Spiritus S. in hoc argumento negavit majorem, longa quippe duratio longè adhuc abest ab æternitate, ille enim qui mundum potenti suo verbo ex nihilo condidit, eodem quoque verbo illum destruere potest: Quæ humana fecit manus, humana dissolvere potest, quidni divina? Deinde nec minor suâ gaudet perfectione, mundus enim periit in universalis diluvio, si non quoad substantiam suam, certè quoad ornatum externum, & quoad homines & animalia extra arcam posita, quibus destitutus, mundus vix dici meretur. Conclusio quoque falsa est
atque

atque opponitur illi revelatio de reservatione hujus universi ad ignem, ut adeo frigidi sint isti, qui cum Seneca in natur. quaest. lib. III. & Beroso antiquissimo scriptore mundum aqua interitum esse somniant, quod eventurum esse credunt, quando omnia sidera in capricornum convenerint; Verum apertissime opponit Scriptura S. ultimum hujus universi *ἐκπύρωσιν* diluvio, & iridem modo aspiciant, ad meliorem procul dubio frugem redibunt. Unde autem ignis iste prorupturus sit, curiosius haecenus quam fructuosius ad nauseam usque disputatum fuit. Sunt, qui ex concavo Lunae illum excitare voluerunt: Alii, qui altius quid sapere, & subtilius philosophari sibi videntur, existimant ignem hunc exortum suum habiturum fore eo tempore, quo omnia sidera in diversos usque dum agentia cursus in signo cancri convenerint, quod fortassis illo anno eveniet, quando sidera in signo capricorni convenient, & mundus aqua interibit: Nonnulli ex densissimis & ardentissimis radiis solaribus in mediae aëris regione tanquam speculo concavo coeuntibus incendium hoc producere conantur: Alii ex ultimo tempestatis impetu fulgurumque frequentiam: Quidam ex profundis terrae cavernis illum evocare conantur, in quibus ignem latere ad metallorum fossores tanquam testes provocant. Alii ex subitaneo omnium causarum naturalium concursu, quae unquam ad ignis generationem productionemque concurrere possunt, hunc ignem elicere conantur; Verum quod scrupulosius haec indagantur, eo magis nobis probatur modestia Augustini, qui *hominem scire arbitratur neminem, cujusmodi & in qua mundi parte futurus sit ille ignis.* Haeretici Aeternales dicti sententiam suam de mundi stabilitate probare voluerunt ex Gen. VIII. 22 sed dictum hoc nos potius invertimus, & supra contrarium ex illo demonstravimus. Origenes plures mundos per successionem statuit. Baronius celebris annalium Ecclesiasticorum conditor ex Abbate Floriacensis Abbatiae Praefecto refert ad ann. 1001. fuisse plurimos, qui diem consummationis seculi praecise determinare voluerunt, cum autem infelici successu experientia illos in ruborem dedisset, natum esse errorem de mundi incorruptibilitate, de qua Philo Judaeus integrum quoque librum conscripsit, qui inscribitur: Περὶ τῆς ἀφ-
H 3 γαρσίως

ἡ ἀπολαύσις τοῦ κόσμου. Nota quoque est Platonis de anno magno sententia, ut etiam in communem phrasin abierit *annus Platonicus*, imò, referente Gerharo, Philosophis hæc de mundi æternitate opinio familiaris fuit. Dicta quædam Scripturæ, quæ pro more suo conglomerant, penitiùs inspicienti, & diligenti locorum parallelorum, ut & antecedentium & consequentium collationi non satisfaciunt ut Deut. xxxiii. 15. quando colles dicuntur **עול** seculi s. absconditi; sciendū, **עול** in Scripturâ notare quandoq; longum quidem, sed determinatum & circumscriptum tempus, dicuntur ad eò colles **עול** seculi, vel quia cum seculo cœperunt, vel cum seculo esse desinent. In psalmo LXXXIX. 30, **ימי שמי** intelliguntur vel dies æternitatis, prout opponuntur diebus terræ Gen. VIII. 22. vel usque non adesse cœli intelligendum est usque ad consummationem seculi. De annuâ mundi renovatione agitur Ps. CIV. 30. Neque diluvii exemplum ultra tertium comparationis est extendendum, imò ipsis secus sentientibus contrariatur, juxta hos enim mundus in melius foret convertendus, prior autem mundi facies à pristinâ amœnitate multum videtur declinasse. Longè etiam dispar est ratio micro- & macrocosmi, ille enim ad Dei imaginem immortalitatemq; conditus est, hic non item, sed propter hominem, & taceo, quòd sufficiens ratio deficiat, quare mundus solus ab hæc annihilatione sit excipiendus, non autem creaturæ vel bestię irrationales? Nec est, quare cœlos stellatos excipere velis, ineptè enim argumentaris ab annihilatione hominibus possibili ad negandam Dei omnipotentiam, sanè, quæ ut vestimenta veterascunt, ut fumus deficiunt & dissipantur, ut folium de ficu decidunt, tabescunt, & ita fugiunt, ut locus iis nullus inveniatur, calore dissolvuntur, & ut cera liquefcunt, non nudam alterationem patiuntur, sed secundum substantiam suam aboleri videntur, nisi mundum tanquam phœnicem è cineribus rursus producere, vel ex illo per ignem quintam essentiam extrahere, vel à sordibus suis purgare velis, veluti de asbestino, quod Latinis linum vivum dicitur, refert Guido Pancirollus rer. memorabil. part. I. tit. IV. pag. 16.

XXX. Ex his itaque non fluit, sed ruit potius judaizans de regno

gno, (ut vulgò vocant) chiliastico opinio, quam damnat A. C. Ar-
tic. XVII. Cœpit sec. I. statim post Christum natum, & auctorem
habuit Cerinthum, qui uti verisimile videtur semi-Judæus fuit, &
antesignanus procul dubio $\Psiευδαποσόλων$, contra quos Apostoli
Synodum instituerunt Act. XV. 10. conf. Augustin. de hæres. cap.
8. Judæos autem mundanum quoddam Messia regnum sperasse
patet ex colloquio matris filiorum Zebedæi cum Christo Matt. XX.
21. & discipulorum Emaunticorum inter se invicem Luc. XXIV. 21.
Quam de regno Chiliastico sententiam magno numero amplexi
sunt multi ex antiquissimis Ecclesiæ Doctoribus, quos inter pri-
mus ferè numeratur Papias Episcopus Hieropolitanus, qui relictâ
S. Literarum auctoritate Apostolorum traditionibus tenaciter ma-
gis quàm feliciter inhærere voluit, & hinc plurimis ansam erroris
dedit. Irenæum inter illos, qui extant, & de quibus nihil dubita-
tur, vetustissimum, & Polycarpi Johannis discipuli auditorem,
non immunem ab hoc errore censet antiquitas, sed observasse di-
citur in eo errorem in fundamento, quòd amplexus sit sententiam
chiliasticam, cujus semina quædam extant in 5. libr. cum exponit
capita aliquot Apocalyps. vid. Chemnit. in Orat. de lect. Patr. LL.
Theol. præfix. pag. m. 3. In eundem erroris lapidem offendit Nepos
Ægyptius plus justo etiam, tribuens traditionibus, Apostolos au-
tem oracula sua sufficientissimè literis mandasse est in aprico, nec
probabile videtur Apostolos alia tradidisse, alia scriptis reliquisse.
Dn. D. Calixtus discrimen tamen esse dicit inter Patrum & Cerin-
thianorum errorem, cum, quod hi carnales voluptates dixerunt,
illi per spirituales explicarint. De Thomâ Müntzero & Joh. Ley-
deni Ecclesiæ Politicæq; turbatoribus, & regni novi, ut falsò jacti-
tabant, restitutoribus consulatur Sleidan. comment. lib. 10. Anno
hujus seculi decimo sexto fanatici quidam prodierunt è Scholâ
hæreticorum malitiosissimorum Davidis Georgi, & Ezechielis Me-
thi, illustremq; ad Salam Academiam somniis suis chiliasticis tur-
bare quæsiiverunt, quos tamen Dei præpotentis gratia, & pia Pro-
fessorum diligentia ad sanio rem mentem reduxit vid. Gerhard.
dispp. contr. fanatic. Hodieq; adhuc Judæi recentiores regni cu-
jusdam chiliastici formam Messia tempore secuturam fore so-
mniant, in quo Messias eos in terram Canaan introductos præter
alias,

alias plurimas voluptates laudatissimo convivio excipiet, quod parabit ex carnibus tauri ingentis magnitudinis כהמור dicti, cuius aliquoties fit mentio Job. XL. 10. & Ps. L. 10. qui mille quotidie (juxta eorum fomnia) montes depascitur; Ne verò inscitiae illos quis arguat, quasi jam dum totius mundi montes depastus esset, adjiciunt, noctu iterum crescere, quod interdiu absumsit: Cibis hisce digerendis Jordanem ad ipsum derivant, cujus aquas per semestre collectas uno haustu ingurgitat. Pisces quoque apponendos fore autumant de magno Leviathan quinto creationis die cum femella à Deo interminatae magnitudinis producto, ne autem pisces minores ab hisce deglutirentur, & maria propter eorum multiplicationem redderentur in via, Deum masculum evirasse dicunt, ex femella verò occisâ salsamenta delicatissima præparasse, atque ad hoc convivium reservasse, & cum masculo verò horis subcivis ludere. Avem quoque rostratam affatamque apponendam fore existimant, quæ בר יוכני dicitur, de cujus inusitata magnitudine scribunt, ovum aliquando è nido excidisse, & trecentas easque proceras cedros casu suo prostravisse, elisum autem sexaginta pagos inundasse, & ne incredibile videatur, dari in rerum naturâ ejusmodi avem, aves ejusmodi petraras non esse affirmant, scribitque Rabbi quidam se serpentem vidisse absorbentem ranam, quæ magnitudine sexaginta domos æquavit, advolasse autem corvum, & serpentem cum ranâ tam facile devorasse, quam vulpes pyrum comest: Alius Rabbi navigans avem se vidisse memorat in mari stantem, cum autem lavatum aquâ se immergere voluisset, minimè profundum esse ratus, voce hæc cœlitus delapsâ deterritum esse: *Rabbi cave faxis, ante septennium enim hic securis cuicdam manibus excidit, quæ nondum inum attigit, longissimi sanè pedes!* De ave יין scribunt, illam expansis alis solis sphaeram obtegere, universoque orbi eclipsin inducere posse. Sed credat hæc Judæus Apella, imò qui deliquitum animi non patitur, non facile credet. Verum nimis siccum & aridum hoc videtur convivium, sanè ait CL. Buxtorff. in Synagog. Judaic. cap. 50. pag. 739. *carnem banc bubulam, & piscium salsamenta poculum subsequi debet, alioqui non facile à stomacho concoquerentur, igitur, ne hic quicquam ad hilaritatem desit, depromet Messias præstantissimum vinum in ipso paradiso*

difo genitum, quod asservatur ibidem in cellâ Adamî vinariâ. Bel-
lariorum loco apponentur omnia dulciorum fructuum genera ex
horto Eden & de arbore vitæ, reliquias verò dividunt inter se,
atque in foro Hierosolymitano venum exponent, & ex pellibus
Deus justis umbracula faciet vid. prolix. laudat. Buxtorff. l. c. pag.
734. usq; ad pag. 741. Verùm enim verò non solùm recutiti Judæi,
sed & illi, qui in Ecclesiæ gremio cubare sibi videntur regni hujus
patrocinium in se suscipiunt: Piscator Herbornensis in comment.
ad cap. XX. apocalypf. solos martyres per mille annos post resurre-
ctionem cum Christo regnatos fore existimat, quem Piscatorem
suum hæc in parte sequitur diligentissimus aliàs Alstedius; (*Alste-
dius* enim per ἀναγρ. est *sedulitas*) Ass multùm decedit Piscator à
piscatoriâ simplicitate, & piscatur potiùs in turbidis ingenii sui ri-
vulis, & cisternis aquâ vitæ consolationisq; carentibus, quàm in
limpidissimis Israëlîs fontibus in quibus nil de hoc regno repe-
rimus, sed ex ore Christi nobis annotatum est, regnum ejus non
esse de hoc mundo, quam coram Pilato responsionem Paulus vo-
cat καλήν ὁμολογίαν 1 Tim. VI. 13. imò ad terrenum quæsitus re-
gnum in montem fugit Joh. VI. 15. & regnum Ejus est spirituale,
quod non consistit in manducando & bibendo, sed in gaudio &
pace in Spiritu S. Et quid opus illos gaudiis exhilarare in regno
terreno, quorum merces magna est in cœlo? pii cruce pressi re-
gnum aspirant, non sanè terrestre, sed tale, ubi πολιτεύμα eorum
cœleste: Ubi quæso locorum hoc regnum erit, cùm locus nullus erit
amplius? temerè satis durationem ejus ad mille annos adstringunt,
cùm tempora desinent: Nos dicimur in aëra judicî in occursum
rapiendi, pro hoc E. regno arces in aërem ædificandæ. Suaviter
igitur nugari, & vento interea pasci oportet illos, qui aureum ad-
huc in mundo sibi seculum pollicentur, judicio B. Kunad. compend.
LL. Theol. de Mort. & Resurrect. disp. XXIV. §. 19. & beati regnum
(non certè terrenum, sed) paratum ab æterno possidebunt, in pri-
mis emphasis loci 1 Cor. XV. 23. est attendenda, ubi Christus re-
gnum Patri suo traditurus dicitur, quod novissimorum omnium
erit novissimum, vid. dissert. Theol. Excell. Dn. Andr. Sennert. LL.
OO. PP. & Acad. Senior. Venerand. Propriam & proximam regni
I Chilia-

Chiliaſtici ſedem quærunt ejusdem Patroni in cap. XX. 2. Apocal.
à cujus dicti vindicatione vacare nos juffit Gerhard. LL. Theol. tom.
IX. de confummat. ſec. §. 93. pag. 172. fol. Feurborn. Prof. Gieſs. &
Affelman. Roſtoch. qui videantur.

XXXI. Terribilia ex parte ſunt, quæ hætenus conſideravimus.
ut etiam Ariſtoteles morte terribilius nihil noverit, ſed exiſtimave-
rit τὸν θάνατον εἶναι πάντων φόβερων φόβερῶτατον. Nos verò morte
novimus aliquid terribilius, nempe infernum, qui eſt mors ſecun-
da, mors æterna, mors ſine morte, terribilis ſanè propter tormento-
rum atrocitatem, terribilior propter tormentorum diverſitatem,
terribiliſſimus propter pœnarum æternitatem. Hebræis dicitur
הַיָּוָם à הַנֶּשֶׁךְ poſtulavit ſumtâ etymologiâ ab inſatiabilitate
& inexplebilitate Ef. V. 14. Proverb. XXVII. 20. cap. XXX. 16 quam
vocem לֶשֶׁךְ Interpp. verterunt per vocem אֲדָמָה (excepto unico lo-
co 2 Sam. XXII. 5. ubi expreſſerunt per vocem θάνατος) dicitur quoq;
הַנֶּשֶׁךְ Jos. XV 8. cap. XVIII. 16. vel contractè הַנֶּשֶׁךְ cap.
XV. 8. & הַנֶּשֶׁךְ Nehem. XI. 30. & vocatur ita à poſſeſſore filio
Hinnom: Vallis aliàs erat amœniſſima, in qua idolum æneum il-
ludq; concavum erexerant, quod Moloch vocabant, ipſo nomine
terribile, cujus brachiis extenſis filios ſuos injiciebant & immo-
labant. Ne autem parentes infantis in exquisitiſſimis doloribus ex-
poſiti ejulatu naturali quâdam ἄσπληντος commoti filium repeterent,
tympana aliaq; ſonora instrumenta muſica pulſabantur (hinc lo-
cus quoque dictus eſt הַנֶּשֶׁךְ) ad quorum ſonitum ſtolidi paren-
tes ſaltabant, exiſtimantes, ſi unum ita filiorum obtuliſſent, reli-
quos cum patre ſalvos futuros eſſe & incolumes, quam imma-
nem idolomaniam Scriptura vocat *filios per ignem traducere* 2 Reg.
XVI. 3. 2 Par. XXXIII. 6. Jer. VII. 31. ſucceſſu autem temporis Rex
Joſias illic equorum, mulorum, aliorumq; animalium cadavera
projicere juſſit, ut per ſordes ejusmodi ab illâ idololatriâ revoca-
rentur, hinc propter ſordes, foetorem, & oſſa cadaverum μετὰ πορικῶς
ad locum ſupplicii æterni translatum eſt. Græcis dicitur γέεννα,
ἀδης, τάρταρος, quamvis hæc vox ſubſtantivè in N. T. non occur-
rat, reperitur tamen verbum ab eâ formatum τάρταρος 2 Pet. II. 4.
ἀβυσσος quoq; vocatur, quaſi inexhauſta profunditatis vorago,
quæ

quæ Hebræis **בְּהַר** dicitur Gen. I. 2. lacus aquâ carens Zach. IX.
 II. Nobis in vernaculâ dicitur die Helle/**ἀντιφρατικός** quasi mini-
 mē helle/vel die Hölle/ weil sie ist hoch und weit. Probant contra il-
 lufores infernum tot de igne confumente & **ἀσβέσω** commina-
 tiones, clamant obsides Core, Datan & Abiram, nec non epulo mul-
 tis flammaram millibus circumdatus inferni nos admonet, exi-
 git divinæ justitiæ ratio rigorq; , testatur conscientia judicem pal-
 lens, adumbrant typi, primi mundi & Sodomæ excidium. Equi-
 dem negari non potest fuisse aliquos Ethnicorum, qui infernum
 somnium fabulamq; putârunt, *illa*, ait Seneca Consol. ad Marciam.
 cap. 19. *quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est*: Et paulò
 post: *Luserunt ista Poëta, & vanis nos agitavêre terroribus; Mors e-*
mnium dolorum solutio & finis est, sed citiùs cum ingenti suo
 damno experientur, quòd hîc credere noluerunt, vermis consci-
 entia non morietur, sed corrodet illos longè acerbîus, quàm mor-
 dicùs usère **בְּהַר הַשֵּׁרֵפִים** in deserto, idq; tergemino
 aculeo, memoriâ præteritæ vitæ, culpæ, jacturæ: **στυγερὰ ἔργα καὶ**
θλίψαι è præsentî cruciatu & immani societate, horrore futuri
 nunquam defuturi, adeoq; desperatione salutis ultimâ omnium
 dirarum dirâ, continuoq; fletu ac dentium stridore, quem PP. a-
 liqui de frigore intensissimo interpretati sunt: **Zähneklappern vor**
Frost/ait Luther. in explic. Evangel. XX post Trinit. **und heulen**
von der Hitze/wie es die alten Lehrer gedeutet haben / wie vor der Hitze
alle Marter damit angezeigt / die man erdencken kan / dann Hitze und
Frost sind die zwei größten Plagen auff Erdreich / als wolt er sa-
gen / ihr werdet mehr leiden müssen / denn man mit Worten sagen /
und mit Gedancken fassen kan. Alii cum Bernhardo existimant,
 quòd fletus ille sit ex dolore, stridor autem dentium ex furore,
 fletus ex vehementi tormentorum immanitate, stridor dentium ex
 tabescenti invidia atq; obstinatâ malignitate, quæ sententiâ priori
 videtur probabilior, quod etiam non obscure Christus innuit, in-
 quiens: *Ibi erit fletus & stridor dentium, cùm videritis Abraham,*
Isaac & Jacob in regno Dei, vos autem expelli foràs. Πολυ-
 πλάγμοις videntur illi, qui geometricâ illum arte tam accuratè
 metiri & delineare ausi sunt, quasi interfuissent, & perticas suas
 aliaq;

aliaq; instrumenta Mathematica applicuissent, quando comprehendere dicunt in peripheriâ 1966. milliar. in profunditate $6020\frac{1}{4}$ (adeò accurate) à nobis autem distare $914\frac{1}{2}$ milliar. vid. Meyfart. *Höllisches Sodom* lib. I. cap. XIV. pag. 221. Nos potius abstinemus ab ejusmodi nugis, novimus quidem esse $\omega\tilde{\gamma}$ distinctissimum à $\omega\tilde{\gamma}$ beatorum, & inter hos & illos $\chi\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha \mu\acute{\epsilon}\gamma\alpha \epsilon\tilde{\iota}\sigma\eta\acute{\epsilon}\nu\alpha\iota$, imò cum Chrysostomo homil. 31. in cap. XVI. epist. ad Roman. attendamus: $\mu\eta \zeta\eta\tau\acute{\omega}\mu\epsilon\nu, \pi\tilde{\epsilon}\tilde{\rho} \delta\tilde{\epsilon}\nu, \alpha\lambda\lambda\acute{\alpha} \omega\tilde{\omega}\varsigma \phi\acute{\upsilon}\gamma\omicron\iota\mu\epsilon\nu.$ Doctorum præposterè & in perversum misericordium doctrinam de salvandis demum Dæmonibus & damnatis dudum improbavit & refutavit ex Scriptura S. pia antiquitas.

XXXII. Ecce omnia jam sunt nova, mors destructa est, & absorpta in triumphum, judicium peractum est, conflagravit mundus, & coelum sicut liber convolutum est, atque Satanus cum mancipiis suis æternis cruciatibus adjudicatus, sola beatissima electorum conditio restat nobis meditanda, & toties commendata, quoties sub suavissimis nuptiarum, conviviorum, regni, paradisi, & crysallantis Hierosolymæ symbolis in S. Literis depicta cernitur. Communiter vocatur *vita eterna* ut distinguatur & à morte impiorum æterna, & à vitâ hâc fugiente minimèq; stabili emphaticè à Syro 1 Cor. II. 14. descriptâ:

וְעַל כֵּן יִשְׁמַח אֱלֹהִים בְּיִשְׂרָאֵל *filius hominis,*

qui in animâ est, i. e. qui nihil in se habet eximium præter animam rationalem, in quâ perpetuâ vitâ gaudio fruuntur ineffabili, gradibus tamen suis distincto, nam *una* (quidem) *salus communis erit, sed gloria dispar*: Ne autem in hominum sanctitate & eminentiâ hanc graduum diversitatem quæramus, notandum, quòd *nil Deus in nobis, præter sua dona coronet*, quam doctrinam approbatam communi hætenus consensu primus superiori seculo in dubium vocavit, teste Gerardo, Petrus Martyr, quamvis timidè valde & titubanter, quem audaciori animo secutus est Schönfeldius vid. ejus disp. de vit. ætern. §. 78. Casell. edit. 1604. qui omnem planè disparitatem negavit. Hæc autem graduum diversitas nullam pariet invidiam, cui hîc nullus est locus, sed exultat in hoc regno, foras sunt

sunt invidi canes, potius incitamentum est ad majorem Dei glorificationem, Deum enim tanquam summum bonum videbunt à facie ad faciem, quod profectò gaudium est perfectissimum, gaudium planè ineffabile, imò quod in cor hominis non descendit, ideò plura de eo verba facere nec volumus, nec possumus, & potius inter medios vitæ æternæ jubilos eorumq; considerationem atque vota ardentissima labori nostro finem imponimus, immortalis Numinis humilimas religiosissimasq; persolventes gratias pro viribus hætenus concessis, & gratiâ Spiritûs S., rogamusq;, ut in posterum nobis nostrisq; studiis propitius aspirare velit. Te autem L.B. iterum majorem in modum rogo, velis æqui boniq; consulere hos quoscunque conatus tyronis sacri hujus studii discendi magis, quàm docendi avidioris, donec fortassis maturiora maturior ætas proferet, & in simplici hoc scribendi genere placidè acquiescas,

Alta crepent alii, quibus est mens altior equo;

Me mea simplicitas integritasq; tegat:

& scias: *Esse aliquid prodire tenus, si non datur ultra:* Hisce Numinis altissimi commendatus protectioni vale quàm optimè. Interim omnes Deum misericordiæ cernui veneremur & supplices, ut nos ulterius pro immensâ suâ gratiâ perditissimis hisce temporibus clementer tueri servareq; velit, atq; beatissimum tandem ex hac miseriarum valle largiri exitum. Faxit Clementissimus Salvator, qui vera resurrectio est & vita, ut nos qui obdormivimus, & planè mortui sumus in peccato excitati ad veram sinceramq; pietatem resurgamus non ad opprobrium, mortemq; secundam, sed ad vitam æternam, & choro Angelorum associati regnum possideamus paratum ab initio mundi, quæ omnia, ut ex merâ nobis gratia largiatur Deus Trinunus, oramus ardentè, speramus confidenter, cui sit laus, honor, & gloria in sempiterna secula.



COROLLARIA.

I.

Mors nequaquam est omnium terribilium terribilissimum.

II.

Resurrectio mortuorum certò & apodicticè ex lumine naturæ demonstrari non potest.

III.

Judicium extremum à Christo iudice exercbitur verbis probabiliter *ἀκρίβως*.

IV.

Ignis, quo mundus conflagrabit non est elementaris.

V.

Infernus non est in centro terræ.

VI.

Probabile videtur beatos in vitâ æternâ se invicem agnituros fore.



I Gnea mens transit rapido vulgaria cursu
Spargitur, & summo nititur esse loco.
Augurio jam plenus eras, lanugine vix dum
Vernabat facies, mox decoranda virum.
Haftenus intentis emensus scripta Sophorum
Curis, nunc pariter sacra referre juvat.
Attollant alios humiles Doctissime KLICKI
Res, Tibi divinas explicuisse placet.
Felix, qui simili labentes condere soles
Proposito pergit, cinget utrumq; decus.

ABRAHAM CALOVIUS D.

I Ngenii docti KLICKI nunc pandere dotes,
Ac placidis gaudes bella movere Viris.
Gratulor hos ausus: Virtutis scandere culmen
Perge ita, fida comes gloria perpes erit.

JOHANNES MEISNERUS D.

U T nunquam pecces, meditare novissima rerum:
Pagina sacra monet: Tibi Praestantissime KLICKI
Perplacet haec doctrina, *Novissima* sunt Tibi curæ.
Perge piis studiis scrutari verba Jehovæ
Commoda multa feres Patriæ, ac precor omine *fausto*:
Exoptata Tuis *fortuna* progresibus adfit.

JOHANNES ANDREAS QUENSTEDT D.

D Octrina de *Novissimis*
Necessitatis maximæ,
Salutis offert premia,
Piæq; vitæ *pharmaca*.
Doctissimus nunc KLICKIUS
Novissimorum reppetit
Verbo ex Dei *Mysteria*,
Nos addimus FELICITER.

JOHANNES Deuschmann D.

Ad Juvenem Doctissimum,
JOHANNEM PETRUM KLICKIUM,
Trabenâ-Mosellanum,
Sacro Studio addictissimum,

CONRAD SAMUEL SCHURTZFLEISCH, PP. & h.t. Decanus.

Septima hebdomas est, quum inter nos de variis Scriptoribus, quos Ecclesiam ornârunt, collocuti, fortè in Valerianum Cimeliensem diverso utrinq; instituto, incidebamus. Ego, quis fuerit, quæ scripserit, quam scribendi rationem adhibuerit, idoneis argumentis in tempore monebam. Tu quid ex eo ad vitæ sanctissimam disciplinam perveniret, quid moribus, quid societati Christianæ congrueret, per te ipse intelligebas rectè atque existimabas; simul ex eo petebas imaginem Sacerdotis boni, & exemplum virtutis & industriæ, quæ animum à caducis avertit, ac sempiterna duntaxat proponit sibi atq; consecratur. In quo diligentie pietatisq; cursu jam dudum scio te assiduum fuisse, & sentio etiam perseverare velle, donec inter has seculi labeles spatium incorruptè integrèq; conficias, & rerum, quas longè ante in animo ad cœlestem cultum erudito providisti, possessionem feliciter teneas, ac sempiterno illo ævo, in quod spe votisq; omnes erigimur, & ubi à morte excitati reponemur, perfruaris. Prius verò quàm hoc tale, quod certè maximum est, usu veniat, aditusq; is sanctissimus, & via unicuiq; mortalium communicatur, expectanda est conversio difficilis illa quidem, & nunquam optanda, nisi mortalitatem potius, quàm vitam finiret. Quod tu præclarè quidem intelligis, atque ex disciplinâ mysteriorum rectissimè depromis, firmasq; animos contra formidinem interitus corporum, & probas, nutu Dei immortalis vim ac spiritum esse receptura, & cineres terra conditos ossaq; attrita penitus & consumpta novos ortus habitura. Proinde hoc religionis nostræ arcanum, quod auctoribus Viris maximè Venerandis SPENERO HORBIOq;, beneficio Tibi, prolixoq; affectu mihi cognitis ingressus es, perutiliter tracta, & pio diligentiq; proposito contemplare, atq; hoc simul age & stude, ut patriæ uberes fructus referas, & ILLUSTRIS GEMMINGII conceptæ de te spei, pulcherrimè satisfacias, hisq; omnibus rectè perfunctus, bona solida & mansura, quorum expectatione hac inamœna asperaq; vita sustentatur, perpetuò constanterq; complectaris. Dabam è Museo
D. XX. Novembr. A. M. DC. LXXV.

05 A 940

ULB Halle

3

003 761 460



VD 17

bl.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

7. S.

ACADEMICA

SIMIS,

ET NOVISSIMO
ANDÆ FACULTATIS
GICÆ

EUCOREIS,

SIDIO

GNIFICI

MPLISSIMI, ATQUE
ISSIMI

S MEISNERI,

FAMIGERATISSIMI,

C AD ALBIM ELECTORA-

ENIORIS FACULTATIS THEO-

PRÆPOSITI ARCIS TEMPLI

ECCLESIASTICI ASSES-

ISSIMI,

QVE PROMOTORIS SUI

U PERPETIM DE-

NDI,

ERUDITORUM VEN-

YPONIT

RUS KLICK

ELLANUS,

MAJORI

MBR. CIO IOCLXXV.

R G Æ,